NAZIONALE
RINASC.
M
179
CENTRALE-FIRENZE
CONSULTAZIONE

M
179

20 – 116

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Carmine N.° 385:

Digitized by Google



Digitized by Google

DE
REBUS GESTIS
AC
SCRIPTIS OPERIBUS
BAPTISTÆ MANTUANI

COGNOMENTO

HISPANIOLI

CARMELITÆ

EXERCITATIO
HISTORICO-CRITICA

P. FLORIDI AMBROSIO

IN TAURINENSI CARMELO S. THEOLOGIÆ REGENTIS.



TAURINI MDCCLXXXIV.

Ex Typographia Ignatii Soffietti.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI

ANDREÆ AUDRAS

S. FACULTATIS PARISIENSIS DOCTORI

ATQUE

UNIVERSI CARMELITARUM ORDINIS

PRIORI GENERALI.

F. FLORIDUS AMBROSIO.

QUum mihi perhonorificum eſt, REVERENDISSIME PATER, lucubrationes meas tuis fortunari auſpiciis, tuo Nomini inſcribi, Te Mecæ-

nate , ac Patrono , publicam in lucem prodire ; tum diu illud , ac vehementer optatum , quo mei erga Te obſequii monumentum aliquod , aliquod , etſi leve argumentum , earum nuncupatione , ſtatuerem . Id ut præſtarem , nihil utique poterat opportunius contingere , quam , ut ejus res geſtas illuſtrandas ſuſciperem , de quo præclara multa ediſſerens ipſas virtutes tuas jam videar attigiſſe . Hoc quum omnino iis evidens eſt , qui utriuſque & mores piiſſimos , & ſingularem doctrinam , prudentiam item , ac dignitatem animo reputent ; tum mihi in primis jucundum , cui aliud velut agenti , dum præclariſſimum illud Sodalitatis meæ , ac Litterariæ Reipublicæ Ornamentum dignis præconiis effero, Te ſimul Ordinis totius Columen , Spem , Decus , ac Patrem , abſque ulla aſſentationis ſpecie , debitis Virtuti tuæ laudibus proſequi , & gratæ Poſterorum memoriæ commendare fas eſt . Utinam nobile Opus aliquod perinde licuiſſet abſolvere , lectiſſima , atque omnigena eruditione tua dignum , dignum quod Viro Sorbonica pro meritis Laurea redimito , ac ſuprema decorato univerſi Ordinis Præfectura conſecraretur : verum , etſi magni aliquid conari haud poſſe intelligebam ; nolui tamen omnem ideo prætermittere occaſionem , qua Tibi Ampliſſimo Rei Carmelitarum

Publicæ Moderatori, quem; ob vere eximias animi dotes, nemo unus eſt, qui & diligere plurimum, & magni habere non debeat, illud ipſe quoque teſtarer, me alterum ex iis cenſendum, qui Te non Patrem modo, ac Præſulem, ſed & Præſulis, & Patris loco, munere, auctoritate digniſſimum venerantur, atque humillime colunt.

Digitized by Google

NOS FRATER ANDREAS AUDRAS

Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, humilis Prior Generalis, nec non Commiſſarius, ac Viſitator Apoſtolicus totius Ordinis Fratrum Beatiſſimæ, ſemperque Virginis, DEI Genitricis MARIÆ de Monte Carmelo Antiquæ Obſervantiæ Regularis &c.

AUctoritate noſtra, tenore præſentium, R. Patri Florido Ambroſio Provinciæ noſtræ Pedemontanæ Sacerdoti Profeſſo, & in Collegio noſtro Taurinenſi Sacræ Theologiæ Regenti facultatem concedimus Typis mandandi Opus a ſe concinnatum, cui titulus eſt: *De Rebus geſtis, ac ſcriptis Operibus Baptiſtæ Mantuani &c.* ea tamen lege, ut prius revideatur, atque probetur a RR. PP. Magiſtris, ac perpetuis Definitoribus Philiberto Rovera, & Vincentio Maria Alloatti, vel ob alterutrius defectum a R. P. M. Aloyſio Groſſo præfati Collegii Regente, ſerventurque omnia, quæ ad libros imprimendos ſunt de jure ſervanda. In quorum fidem &c.

Datum Romæ in Carmelo noſtro S. Mariæ Tranſpontinæ die XXVI. Februarii MDCCLXXXIV.

F. ANDREAS AUDRAS
Generalis Carmelitarum.

Reg. fol. 66.

F. JOSEPH M. IPPOLITI. P. Rev. a Secretis.

MAndante Reverendiſſimo Patre ANDREA AUDRAS Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, Priore Generali totius Ordinis Carmelitarum &c., ſumma animi voluptate Opus perlegimus, cui titulus: *De Rebus geſtis, ac ſcriptis Operibus Baptiſtæ Mantuani &c.*, in eoque nihil reperimus, quod rectæ morum inſtitutioni, aut doctrinæ fidei vel minimum adverſetur; quinimo cum exquiſitiorem criticam, & omnigenam eruditionem non ſine incredibili cl. Auctoris labore, diligentiaque comparatam eodem in Opere conſpexerimus, dignum propterea judicamus, quod publica luce fruatur.

Dabamus Taurini in Æde Carmelitarum die XXII. Maji MDCCLXXXIV.

F. PHILIBERTUS ROVERA
S. Th. Magiſter, & Doctor,
Definitor perpetuus.

F. VINCENTIUS MARIA ALLOATTI
S. Th. Magiſter, & Doctor,
Definitor perpetuus.

NOS FR. ANTONIUS UNNIA

S. Theologiæ Magiſter, humilis Prior Provincialis Ordinis Beatæ DEI Genitricis; ſemper Virginis MARIÆ de Monte Carmelo Provinciæ Pedemontanæ.

PRæhabito Examinatorum ſignato judicio, ut Opus, cujus titulus eſt: *De Rebus geſtis, ac ſcriptis Operibus Baptiſtæ Mantuani &c.* publico prælo mandetur, noſtram etiam facultatem, & approbationem adjicimus.

Datum in Carmelo noſtro Vercellenſi X. Kal. Octobris MDCCLXXXIV.

FR. ANTONIUS UNNIA
Prior Provincialis.

FR. GREGORIUS SERATRICE Profecr.

JUſſis obſequens Reverendiſſimi Patris Magiſtri Vincentii Carras Vicarii Generalis S. Officii Taurini, attente perlegi Opus inſcriptum *De rebus geſtis, ac ſcriptis Operibus Baptiſtæ Mantuani cognomento Hiſpanioli, Carmelitæ, Exercitatio Hiſtorico-Critica P. Floridi Ambroſio ejuſdem Ordinis Theologiæ Lectoris*, cumque nihil in eo deprehenderim, quod a doctrina Orthodoxæ Religionis, rectaque morum inſtitutione alienum ſit, immo potius maximam eruditionis copiam, & in perdifficilis argumenti tractationem, ſummam dexteritatem admiratus ſim, ideo publici juris fieri poſſe cenſeo.

Dabam Taurini in Conventu S. M. Thereſiæ die 15. Junii anno 1784.

FR. FRANCISCUS MARIA A S. PETRO
Carmelita Excalceatus, Exprovincialis,
& Sancti Officii Conſultor.

IMPRIMATUR

FR. VINCENTIUS MARIA CARRAS Ordinis Prædicatorum, S. Th. M., Vic. Gen. S. Officii Taurini.

EANDI AA. LL. P.

V. Se ne permette la ſtampa

GARRETTI DI FERRERE per la Gran-Cancellaria.

Digitized by Google

BAPTISTÆ MANTUANI
VITA

CAPUT I.

GENUS, PARENTES, PATRIA.

QUOD de univerſa generatim hiſtoria graviter olim a Tullio pronuntiatum eſt (1), eſſe illam veritatis lucem, vitam memoriæ, magiſtram vitæ, id peculiari quodam jure, de eo hiſtoriarum genere ſpeciatim poſſe adſumi, quo in virorum eximiæ virtutis, aut ſingularis doctrinæ laude inſignium mores, conſuetudinem, res geſtas inquirimus; hoc & omnium auctorum conſenſione firmatum eſt, & rei ipſa natura ſatis, ut arbitror, manifeſtum: præterquam enim eſt hic modus omnium aptiſſimus, quo gratum in deceſſores

(1) Dial. *De Oratore*.

Digitized by Google

animum exprimimus, videtur omnium etiam & facillimus, & maxime idoneus, quo quis celeri ad ſapientiam greſſu properare, curſuque citiſſimo ad vetus illud gloriæ templum poſſit pervenire, cujus ingreſſu iis omnibus mythica interdixit antiquitas, qui non prius in laboris, virtutiſque delubro, quo decuiſſet, tempore, conſtitiſſent (*). Ecquid enim eſt aliud majorum ingenium, mores, opiniones, ſcripta, præclara facinora perſequi, niſi & eorum, quæ docuere, notionem adipiſci, & qua potiſſimum ratione ſcientiis acquirendis, comparandæque virtuti adlaborandum ſit propoſitis eorum exemplis dignoſcere, ac quodam veluti ſpeculo contemplari? Hinc factum arbitror, ut univerſa retro antiquitas in clariſſimorum hominum illuſtranda memoria, omni ſemper ſollicitudine, vacaverit, ac ſibi nil reliqui fecerit, quo præclara illorum geſta, ac celebria magis effata ſeris poſteris commendaret. Remotiſſima ejuſce rei ſuppetunt exempla apud Plutarchum, Laertium, Philoſtratum, alios, quorum veſtigia notum eruditis quam glorioſe, quam etiam utilius inſtiterint Chriſtianæ naſcentis Eccleſiæ ſcriptores inſigniſſimi **Euſebius**, **Hieronymus**, Gennadius, alii, a quibus ad nos optimorum auctorum memoriam exornandi deducta conſuetudo uſque perennat, ceu ſuis teſtantur operibus Trithemius, Bellarminus, Dupin, Ceillier, Oudinus, Cave, aliique ſexcenti, quorum tamen exemplis id fere colligimus non poſſe quemquam multorum ſimul res geſtas complecti, quin plura, quoad omnes, veluti neceſſario omittat. Quam igitur egregiam eruditis navant operam, quotquot a pluribus multa colligentes, accurate, quoad poſſunt, illuſtrium virorum, etſi aliquot tantum, hinc præclare geſta, hinc erudite ſcripta commendant. Porro viris pietate, prudentia, doctrinæ laude ſpectatiſſimis accenſendum clariſſimum, de quo dicere adgredimur, Auctorem

(*) Duplicis hujuſce templi ſchema exhibet *queſtionibus ſymbolicis* Achilles Bocchius. Rem paullo aliter Mantuanus *Epigrammatis ad Falconem* tom. 1. fol. 105.

Atria prima labor, tecti penetralia virtus
Servat, in extrema parte locatur honor.

rem Baptiſtam Mantuanum, quæ de eo mox diſputabimus, aperte ea ſatis evincent, ac una illud ſuadebunt, ſi quid laboris in ejus illuſtranda memoria a nobis collocatum eſt, id totum eximio tanti viri merito jure impenſum. Ne autem altius repetentes lectorem, ipſo ſtatim initio, vacuis moremur, aut moleſtius enarratis proſapiæ, genealogiæ, ſtemmatum inſignibus rem, quoad licebit, propius auſpicamur. Itaque quum anno Domini MCCCCXXXV. Alphonſus Aragoniæ Rex Siciliæ Regno potiturus ad eam inſulam contendiſſet, a Genuenſibus profligatus (2) in manus incidit Philippi Mediolanenſium Ducis, a quo poſtea una cum primoribus aliis, qui ſecum ex Hiſpania venerant, idemque cum ipſo militantes bellum capti fuerant, libertate donatus eſt. Eos inter vir erat Cordubæ in Vandalitia ortus Antonius nomine, qui alteram ex navibus, cujus ipſe Navarchus fuerat inſtitutus, magna ſemper, quoad licuit, virtute defenderat. Is igitur libertatem adeptus eſt, ſimul cum filio, cui Petrus nomen erat, cuique, quod Hiſpania adveniſſet, *Hiſpani* cognomen impoſitum. Quum autem, ſeu Italiæ amænitate caperetur, ſeu Hiſpaniam annavigare moleſtum haberet, ſeu ingentibus propoſitis præmiis (3) invitaretur ad arma, noſtris hiſce regionibus immorari conſtituit, atque Mantuam veniens ſuum ibi optavit domicilium, ut hiſce tradit verbis Poeta noſter *Alphonſi* lib. V. (4).

Petrus enim ſenis Antonii generoſa propago
Mintiadas adiit populos, ubi Gonzagarum
Regia, & inſignem claro ſub Principe nactus,
Eximia virtute, locum primordia genti
Condit . . . .

Duxit is uxorem Conſtantiam Brixiæ ex familia Maggi natam, unde & factum eſt, ſi Cuperum noſtrum audieris, ut egregium in illam civitatem panegyricum Auctor N. oraret (5), cujus hoc initium:

 Brixia

(2) Muratorius *Annali d' Italia* tomo IX. anno MCCCCXXXV.
(3) Id Poeta N. inſinuat verbis ex libro *Sylvarum* IV. inferius adducendis.
(4) Opp. tomo III. fol. 79. edit. Antuerp. MDLXXIX.
(5) Eodem tomo III. fol. 221. -- 233.

Brixia ſæpe tuas, quum ſis mihi gratior ipſa,
Vel non grata minus Manto, genus unde Maroni
Altiloquo, genus unde mihi . . . .

Eo conjugio quinque ſaltem ſuſcepit liberos laudatus Hiſpanus: Baptiſtam N., Ptolemæum, Alexandrum, Ægidium, ac Fridericum (mitto enim filias, quas & ipſas plures fuiſſe colligitur ex infra adducendis Poetæ N. verbis). Ptolemæum ætate ineunte muſis operam dediſſe facile conjicias ex eruditiſſima, quam adverſus Baptiſtæ fratris detractores elucubratus eſt, *Apologia* (6), atque ex ejus *de licentiis veterum Poetarum corrolario* (7). De hoc Mantuani fratre ita ad Bardellonium ſcribebat Marius Æquicola (8): " Per „ Cymacli undas cum domina Iſabella Eſtenſi vaganti mihi „ tuæ litteræ redditæ ſunt, quibus, inter cetera, certiorem „ me reddis Ptolemæum Gonzagam jam ultimam manum „ imponere *Apologiæ*, quam pro germano Carmelita Ba„ ptiſta ter maximo contra litteratores ſuſcepit. Laudo „ officium; ſed miror, cur in mea Provincia, quam liberis „ ſuffragiis ex noſtri Ordinis quaſi Senatusconſultus ſortitus „ ſum, tantum ſibi juris vindicet. Scio hominem ingenio„ ſiſſimum, lectionis plurimæ, & acris judicii: verum qua„ lia parat otioſorum ſunt, ut nunc nos ſumus, non ejus, „ qui in rebus publicis maximi momenti, ut privata omit„ tam, ſit ampliſſime occupatus. Ex omni Europa ad ſuum „ Principem, cujus humeris libertas, & ſalus nititur Italiæ, „ Regum, & Rerumpublicarum confluunt oratores. Huic „ quum Ptolemæus a ſecretis ſolus primus ſit voluntatum, „ & conſiliorum adjutor, & particeps, non ſit veriſimile, „ ut ad defendendum vacet, quum vix ad uſus vitæ ne„ ceſſarios otii ſuperſit tantillum. Sinat me hoc agere. Te„ ſtor me relicturum adverſariis nullum provocationis lo„ cum, ſi quid in juſtiſſima cauſa, & in diligentia ſiden„ dum. . . . . . . Cymacli IV. Idus Novembris CIƆIƆVIII. „

Qua

(6) Opp. Mant. tomo IV. pag. 90. -- 155.
(7) Ibid. pag. 161. -- 197.
(8) *Epiſtola ad eundem Joannem Jacobum Bardellonium*, Ibidem pagg. 88. 89.

Qua ex epiſtola, a Villiers fere etiam tota exſcripta (9), & juſtam Poetæ N. cauſam, & clarum Ptolemæi locum, atque apud Principem ſuum dignitatem, & officium aperit vir ſpectatiſſimus. Ad hæc conſtat ex ipſo Auctore N. fratrem ſuum Ptolemæum aurati Equitis gradu inſignitum; his enim (10) verbis *Dialogum contra detractores* inſcribit: „ Ad Ptolemæum Gonzagam virum magnificum, Equitemque auratum. „ Eidem Ptolemæo, quem præ fratribus ceteris dilexiſſe videtur, quemque ſemel, iterumque *ſuaviſſimum* appellat, conſecravit etiam *epiſtolam contra calumniatores* (11), *carmen pro Mario Olivetano* (12), ſextamque *Parthenicen*, ideſt V. Apolloniæ vitam (13). Quamvis peculiari mentione dignum eſt, quod ipſi cecinit *Epithalamium* (14), quum duceret ille uxorem Dorotheam Valenti Mantuanam, de qua Poeta N. hæc habet (15).

Mantua Dorotheam genuit. Pater illius ortus
Claſſibus e primis, generoſa e ſtirpe Valentum,
Primatum de ſorte fuit. Domus iſta ſuperbis
Inclyta majorum titulis, rerum inclyta grandi
Copia, & immenſis opibus . . . .
Mater ab armigeræ demiſſa propagine Parmæ
Hinc Bravios habet, inde Lupos, in ſtemmate fulgent
Ora virum magnos vultu referentia Reges . . . .

Exin ad ſui, fratriſque majores deſcendens: nunc Ptolemæe, inquit (16).

Nunc Ptolomæe tuæ gentis faſtigia tangam,
Atque meæ. Genus eſt nobis commune duobus.
Strenuus, & rigidis gaudens Antonius armis
(Hinc ſatis ordiri eſt, ne longa ambage feramur.)
Venit ab Heſperia magnis cum Heroibus (17): ipſe

Nam-

(9) *Biblioth. Carmel.* tom. I. col. 239.
(10) Opp. tom. IV. pag. 1. -- 57.
(11) Ibidem pag. 57. -- 89.
(12) Lib. IV. *Sylvarum*. Opp. tom. III. fol. 297. -- 299.
(13) Opp. tom. II. a fol. 128. verſo.
(14) *Sylvarum* lib. IV. Opp. tom. III. fol. 297. -- 299.
(15) Ibi fol. 301.
(16) Ibidem fol. 302.
(17) . . . . . Et antiqua noſtris ab origine Iberis.
Inquit etiam *Alphonſi* lib. V. Opp. tom. III. fol. 71.

Namque erat Alphonſo Regi, quum in Regna veniret
Parthenopæa, comes, comes indiviſus, & inter
Bella latus Regis tegere, & munire ſolebat (18).
Rex iter adverſum paſſus Genuenſibus armis
Præda fuit, captus cum Rege Antonius inter
Magnanimos proceres (ſic illum fata tulerunt)
Venit ad Inſubres, & tanti magna triumphi
Pars fuit. Inſubrum domino fortuna Philippo
Sic blandita, quid eſt multis opus? Omnia vertit,
Quicquid id eſt, cui dant homines cognomina ſortis;
Fortunamque vocant, & re dominatur in omni (19).
In ſua regna abiit Rex libertate potitus.
Ad Ducis aſcitus magno ære Antonius arma
Floruit extemplo longe, lateque per omnes
Inſubrum, Ligurumque urbes ſua nomina mittens:
Æquiparabat enim facunda Neſtora lingua,
Hectora vi, Laërtiadem prudentia, & aſtu.
Ipſe igitur ducens ſenas in prælia turmas
Ibat per Venetos, Cenomana per oppida victor.
Bethycus hic fuerat civis tibi Corduba, Vatum
Corduba multorum mater celeberrima. Ab ipſo
Petrus, & a Petro venit Ptolemæus, & ampla (20)
Noſtra

(18) Repetit eadem fere cit. *Alphonſi* lib. V. fol. 78.

Heſpertos inter Proceres, quos invida laudi
In prædam fortuna dedit, tum prima ferebat
Alphonſo ſub Rege merens Antonius arma,
Cui genus, & patrium dederat ſua Corduba nomen;

(19) Hæc poetice juxta illud Virgilii in *Bucolicis*
. . . . Sors omnia verſat.
Ecloga IX. 5.

(20) An eſſet æqua ampla opibus non clare innuit Poeta: quinimmo divitiarum non affatim per id temporis Hiſpaniolæ huic domui fuiſſe tuto exinde conjecerim, quod Poeta N. ſumma interdum egeſtate premeretur, quam certe levaſſent, qui ſummo eum proſequebantur amore, fratres, atque ſorores, quorum interim veluti oblitus ab aliis nonnunquam auxilium petebat, ut, quum ipſi ad obtinendam Doctoris Lauream neceſſarii ſumptus fuere, quo tempore, hæc, inter alia, ad cumulatiſſimum opibus virum Jacobum Carphorum ſcribebat tom. Opp. I. fol. 175.

Quare age, ſi ſacras penitus non deſpicis artes,
Et niſi te veteris, mutato pectore, noſtræ

Digitized by Google

Noſtra domus pollens numero fratrum, atque ſororum.
Hæc de patre ſatis, ſupereſt materna propago.
Clara opibus, clara ingeniis, clara auſibus altis.
Neve per ambages fluat inſinuatio longas:
Brixia progeniem longo jam tempore Majam
Novit, & auſpiciis ejus feliciter aucta eſt
Publica res. Fuit ex Majis, qui mœnia quondam
Reſtituit tua, jam ſenio labentia longo,
Brixia, qui propriis argentea flumina duxit
Sumptibus, & riguos miſit per compita fontes.
Iſte idem, meritis decus expoſcentibus illud,
Venit ad imperium patriæ, populoque volente,
Et Princeps, & Paſtor erat, nec juſtius alter
Ante gubernavit, nec poſt ſua tempora rector.
Nec res teſte caret: veteri certiſſima famæ
Magna fidem faciunt illam monumenta per urbem
Viſa iſtis paulo ante oculis . . . . .
Hæc eſt Maja domus pollens propagine tanta,
Tot claris ornata viris. Conſtantia mater
Hinc, germane, tibi nuribus prælata pudicis.

Hactenus ad Ptolemæum de ejus conſanguineis Poeta N., qui rurſus eidem, ut nuper diximus, *Dialogum contra detractores* inſcripſerat, cujus initio fratrem alterum Alexandrum his verbis commendat (21): " Collocutores feci „ Bartholomæum Brunatium, & Alexandrum fratrem no„ ſtrum, ambos præclaros Juriſconſultos, & noſtræ Cathe„ dralis Eccleſiæ Canonicos.

Non

Tædet amicitiæ, ſi qua eſt clementia, ſi pars
Ulla tibi pietatis adhuc, ſi Numina curas,
Prome aliquid, Vatique fave, dextramque jacenti
Porrige, & in tenebris erranti lumina pande.
Et pudet, & durum eſt mihi mendicare; pudorem
Res miſeræ ſuperant, & quæ me cogit egeſtas.
Ite mei verſus, & non redeatis inanes:
Si quod habet Numen nunc experiemur Apollo.

Arguit eam etiam in rem Perlepide libro II. *Epigrammate* XXXII. Martialis

(21) Tomo Opp. IV. pag. 1.

Non æque ac Ptolemæus, & Alexander felicibus uſus eſt fatis germanus alter Ægidius, qui adverſo Marte dimicans occiſus periit clade, qua Mantuæ Marchio Franciſcus II. in vincula conjectus eſt, ceu ipſe teſtatur, eo in fratrem Epicedio, Poeta N. (22).

Nos quoque tempeſtas iſta, o Ptolemæe, redegit
In luctum, in lacrymas, longa in ſuſpiria, quando
Ægidius frater nobis cum Principe raptus
Ante diem, miſſus Princeps in vincula, frater
In tumulum . . . .
O Juvenis miſerande, domus, dum vita manebat,
Grande decus noſtræ, quam te fortuna repente
Suſtulit ex oculis, & funere merſit acerbo!
Te mea ſperabam viſurum funera, quando
Tu validus, longo titubans ego tempore . . . . . :

Unde & illud habes fuiſſe Ægidium Poeta N. juniorem, uti & alter fuiſſe videtur Fridericus nomine, cui immatura quoque morte prærepto funebribus hiſce verſibus noſter ipſe Auctor parentavit (23).

. . . . Taceo reliqua infortunia, quæ me
Sollicitant, referam, quod me modo macerat unum.
Impia mors (nequeo lacrymas cohibere loquendo,
Et gravitas ſene digna labat. Conſtantia vires
Hic oblita cadit, ſenſuque oppreſſa ruit mens) . . . .
Aſpera mors claris de tot mihi fratribus unum,
Qui decorare potis fuerat ſua ſecula ſolus,
Abſtulit . . . .
Et florebat adhuc, & adhuc erat integer ævi . . . . :
Ipſe Magiſtratu non uno inſignis honores
Eximios foris, atque domi, ſubeunte juventa,
Pubere vix major (præcox ſapientia tempus
Venerat ante ſuum) meruit . . . .

Tran-

(22) Tomo III. *De fortuna Gonzagæ* fol. 188.
(23) *De morte Federici Spagnoli fratris ſui ad Ptolemæum fratrem.* Tom. Opp. I. fol. 139. -- 143.

Tranſeo ut externas Legatus adiverit Urbes,
Et quali ad Reges, populoſque oraverit ore:
Nam neque ſola virum inſignem facundia fecit,
Fecit & excellens legum prudentia . . . . .
Nec vero minus hiſtorias, & grandia Regum
Facta, quot a prima memorantur origine rerum,
Terrarum, Cælique locos, quot Regna, quot Urbes
Orbis habet, quot ſunt montes, quot flumina, ab ortu
Solis ad occaſum quot in æthere ſidera, quot ſunt
Inſulæ in Oceano, vires, & nomina rerum
Noverat ingenio Divis (24) aut altior, aut par . . . ;
Pegaſeas intravit aquas, & in intima fontis
Caſtalii ſecreta ivit . . . . .
. . . . Quamplurima chartis
Lucubrata diu mandans, ſtudioque reponens
Multa gravi, quæ forte ſequens mirabitur ætas.

Porro hæc nemo, quæſo, inſtituto extranea, rebuſque Poetæ N. cenſendis aliena pronuntiet, quum cujus generis vir ille fuerit, qua domo olim viveret, quibus honoribus aucta ſit ejus familia, quamque præclaris facinoribus illius ſtirps, ac gens inclaruerit, ac etiam qua via tot procerum amicitiam, tot virorum Principum favorem ſibi ipſa conciliarit appoſitiſſime oſtendant. Sed enim quæ Poetam N. attingunt propius, ea nos, prout inſtituti noſtri fert ratio, ordinatim ſingula perſequamur.

---

(24) Servio *Dii* dicuntur æterni: *Divi*, qui ex hominibus aſſumpti ſunt: Sic Cæſares *Divi* appellati. Adiſis cl. Rivautella, & Ricolvi. *Marmora Taurinenſia diſſertationib., & notis illuſtrata*. Parte I. Marm. XVI.

CAPUT II.

ORTUS. NOMEN.

QUA mundi parte, qua imo Italiæ urbe, quove conjugio ortus ſit auctor, in cujus ætatem, vitam, ac ſcripta inquirimus, ſuperiori loco adnotatum, iis omiſſis, quæ apud Nucerienſem antiſtitem Paulum Jovium eo ſpectantia reperias: “ Baptiſta, inquit ipſe (25), Carmelitani Ordinis prin» ceps ex Hiſpaniola gente honeſta, verum ex damnato » coitu natus. „ Ea tamen hic omnino exſcribenda cenſuimus: etſi enim hujuſmodi ſunt, quæ de Poeta N. ſcribentem ne minimum commovere debeant, quum quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra vocanda ſint, ut recte eſt Ovidio (26) obſervatum; quia tamen, vel præcedenti ſolum capite, ex parentum nobilitate, ac etiam virtutibus Poetæ N. laudes majores fecimus, & quia, ut idem hic Poeta N. modulatus eſt (27):

In ſobolem tranſire patris, cum ſemine, virtus
Sæpe ſolet, refertque ſatus quo quiſque parente eſt.

Ut modo ſileam notam illam apud nonnullos dedecori (*) verti; illud hinc quoque par eſſe videtur, ut, quam ejus genitoribus calumniam impingit Jovius, apertiſſimis ſaltem conjecturis amoveamus. Ac primo quidem virum eſſe Jovium non magnæ apud eruditos auctoritatis ſcribit in ſuo *Virorum Ill. Dictionario* Ladvocat (28), atque ante ipſum Petrus

(25) *Elogio* LXI.
(26) Lib. *Metamorph.* XIII. ℣. 140.
(27) *Alphonſi* lib. I. tomo Opp. III. fol. 8.
(*) Ii interim legant Deneſle *Les préjugés du publ. ſur l'honneur* Tom. II. chap. XXI.
(28) » Les ſavans ne font pas grand cas de ſon hiſtoire perſuadés, que ſa » plume étoit vénale, & que la haine, ou la faveur le faiſoient écrire, *Diction. art.* Jove.

Petrus Bayle (29); ſed & Genuenſis vir ille ſagaciſſimus Jovium ſubleſtæ fidei ſcriptorem traducit (30). Quicquid ſane de reliquis illius hiſtorici ſcriptis judicandum fuerit, hoc mihi eſt indubium eum quod Mantuani res attinet oſcitantiam ſuam aperte nimis prodidiſſe: ut enim illud omittam, nulla ab eo aſſertionis ſuæ argumenta proferri (31),

(29) Qui idem Lipſium quoque, Bodinum, Voſſium, &c. adverſus Jovium appellat. *Dict. hiſtor critique art.* Jove *rem A., & F.*

(30) *Logico-Criticæ* lib. IV. cap. II.

(31) Protulit nonnulla Petrus Niceron, qui, ut Mantuanum thoro damnato ſuſceptum omnino evincat, hæc memorat (*Mémoires pour ſervir à l'hiſtoire des hommes illuſtres dans la Republique des lettres* Tome XXVII. pag. 107.) « Il ne » paroît pas, par tout ce, qu'on a de ſes œuvres, que ſon Pere ait été ma- » rié plus d'une fois. Conſtance de Maggi d'une de meilleures familles de » Breſcia eſt la ſeule Épouſe, qui lui donne. Cependant dans la ſeptieme » Eglogue, qui eſt un ouvrage de ſa premiere jeuneſſe, il ſe plaint ſous le » nom de Pollux des rigueurs, & de la fierté de ſa belle-mere, qui ne peut » être autre, que cette Conſtance. D'ailleurs ſon ſilence affecté ſur ſa propre » mere, dont il ne parle en aucun endroit, ne fait, que trop connoître, » qu'il n'avoit rien à dire ſur ce ſujet, qui put lui faire honneur. » Verba, quæ ex VII. Mantuani Ecloga Niceron appellat ſunt iſta:

Durus, & immitis pater, atque ſuperba noverca
Pollucem graviore jugo preſſere juventæ
Tempore, quum dulces animos nova ſuggerit ætas:

Quibus præmiſſis actutum iſta Mantuanus ſubnectit:

Et quum jam invalidæ longo ſub pondere vires
Deficerent, nullaque odium manſueſceret arte,
Conſtituit tentare ſugam . . . . .
Sed jam facta fuga, cunctis erat alea nota.
Fronde ſub Herculea feſſus mærore ſedebat.
Ecce puellari Virgo ſtipata corona
Ora, manus, oculos, habitumque ſimillima Nymphæ,
Et tali affata eſt puerum ſermone dolentem:
Chare puer, quo tendis iter? Veſtigia verte . . . .
Qua contra Idalios fluctus mihi tollit in altum
Aera Carmelus viridi caput arbore cinctum . . . .
Sic effata leves Virgo diſceſſit in auras,
Tum ſua juravit Pollux mutata repente
Pectora, & extemplo victum exſpiraſſe furorem : : : : :
Sic igitur Pollux in clauſtra ſilentia venit.

Hæc igitur de ſe locutum Mantuanum exiſtimant Badius, Bernardus de la Monnoye, ac Niceron; ſed vero, ut mea quidem ſententia ſert, immerito: I. enim Alphum ſic de Galbula Eclogæ illius initio canentem inducit:

Galbula quid ſentis? Pollux doctiſſimus olim
Fiſtulicen, ſubito quodam quaſi Numine tactus

quod in hiſtorico, qualis ſibi Jovius viſus eſſe videtur, haud fortaſſis immerito reprehendas, ubi præſertim auctores

res

Deſtituit calamos, tunicas, armenta, ſodales . . . . .
Quatuor ante dies in Relligioſa ſeceſſit
Clauſtra . . . .

Ea porro quum juvenis extra Religionem, ut infra dicemus, luſerit, nec; niſi longe po ſt emiſſam Religioſi ſtatus profeſſionem, edi curaverit, qua de re iterum infra, illud manifeſto liquet, verſum illum *Quatuor ante dies* nullatenus de Mantuano ipſo debere, aut poſſe exponi, quin & tantæ modeſtiæ fuiſſe eum crediderim, ut ſe, vel perſonato ſub nomine, *Doctiſſimum Fiſtulicen* appellare non omnino auderet. II. Vocat inferius *immitem, ac durum patrem*. Jam vero id ne de genitore ſuo typis conſignaſſe dixerimus Poetam N., quem audiemus (capite vitæ hujus III.) ad eumdem Patrem ſuum ita ſcribentem: « Ego enim, qui te mihi carior ſit, inter mortales habeo neminem. » & alibi canentem:

: . : . . . . Mihi ſemper ad artes
Ingenuas calcar cura paterna fuit.
Propterea manes ejus reverenter adoro.

annon ſaltem, ſi juveni illa excidiſſent, ſuppreſſiſſet adultus, quum nimirum ætate jam, & Religione gravis emendavit, polivit, ac typis commiſit? Quod rurſum haud ſatis advertiſſe cenſuerim De la Monnoye, quum ita objectioni illi occurreret (ad *Menagiana* tom. I. edit. Pariſ. in 12. 1715. pag. 278.) « Je réponds, qu'il faut diſtinguer les tems, que dans l'âge, & dans » la diſpoſition d'eſprit, où étoit Mantuan un peu devant, qu'il fit cette eg- » logue, ennemi de la contrainte, enclin au plaiſir il ne s'accommodoit pas » autrement d'un pere ſi exact à le faire étudier; mais que les années lui » ayant mûri le jugement, il avoit dépuis béni cette ſévérité paternelle, » qui lui avoit été ſi utile. » III. Sed & novercam exinde incuſat. Verum quis illud credat potuiſſe Mantuanum ea de ſe modulari, ac typis etiam committere, quæ νοθείας ſuam aperte nimis indicaſſent, ubi, quod levi ſane permotus ratione, poſt De la Monnoye, ſciſcit Niceron, monogamus Poetæ N. genitor fuiſſet. IV. An Conſtantiam Deo jam conſecratus poemata hæc recudendo *ſuperbam* vocaſſet, quam plurimum ſe dilexiſſe indicat illa ad Conſtantiæ patriam Brixiam apoſtrophe, de qua jam capite præc.?

Brixia ſæpe tuas, quum ſis mihi gratior ipſa,
Vel non grata minus Manto, genus unde Maroni
Altiloquo, genus unde mihi . . . . . .

ex quibus aperte etiam eruitur non potuiſſe aut Manto ipſa gratiorem appellari, aut æque gratam, niſi æqualia ſaltem fuiſſent, quæ id poſtulaſſent, motiva, quæque indicat abs dubio verbis illis: *genus unde mihi*. V. Merito hinc VII. hujus Eclogæ argumentum in Bononienſi edit. in fol. MDII., Lugdunenſi in 8. MDXXIII., ac, ut ſileam reliquas, noviſſima Antuerpienſi, non eſt *de Mantuani*, aut *de auctoris*, vel *juvenis*, ſed *de converſione juvenum ad Religionem*. Quod vero ſubdit Niceron nullibi Auctorem N. de matre ſua locutum, præterquam argumentum eſt mere negativum, poteſt inſuper ex hie nuperrime, atque alibi dictis retundi facile, atque elevari. Quidni ergo meliora a critico hoc noſtro, quem plurimi tamen facimus, deſideret idoneus, æquuſque rerum æſtimator?

res alii non ſuppetunt, qui id affirment; unum illud hoc loci meminerim, quo turpiter inflatus ſcriptor lapſus eſt, parachroniſmum, aſſerens videlicet Poetam N., qui ſexageſimum octavum vix attigit annum, octuagenario majorem obiiſſe; at vero " qui propinquiora neſcivit, qua ,, ratione tempora remotiora noviſſe judicandus? ,, Infert hic, & jure, ac merito N. Villiers (32). Hinc vero quid

mirum

---

(32) *Biblioth. Carm.* tom. I. col 227. poſt Petrum Lucium *Biblioth. Carm.* fol. 11., de quo, uti & de Cupero legitimum Poetæ N ortum ſuadere conatis. « L'un & l'autre, inquit (*Mémoires* &c. tom. XXVII. pag. 105.) Niceron: « L'un & l'autre a cru apparemment, qu'il étoit de l'honneur de » leur Ordre, de purger la naiſſance d'un de leurs Généraux de la tâche, » dont elle étoit ſouillé par là. Ils pouvoient cependant faire reflexion, que » quelque conſidérable, que ſoit la dignité de Général d' Ordre, celle de » Pape, qui eſt au-deſſus de toutes les autres n'a pas empêché les Hiſtoriens » même Florentins d'avouer, que Clement VII. étoit fils naturel de Julien » De-Medicis. On ne voit pas, que Jove ait eu intérêt à décrire la naiſ- » ſance de Baptiſte Mantuan. Un homme nè, comme lui, dans le voiſinage » de Mantoue, & agé de XXXIII. ans, lorſque Mantuan morut, pouvoit » être fort bien inſtruit de la vérité. Il ne falloit pas attendre trente années » à le contredire, & cela ſur des préſomptions, qu'il eſt aiſe de détruire » par d'autres incomparabilment plus fortes. » Hæc fidelis exſcriptor Niceron ex Bernardo De la Monnoye, qui, poſtquam eadem hæc adnotaverat (ad *Menagiana* tom. I. pag. 273.) ſubdit e veſtigio de Paulo Jovio: « On ne l'a » pas accuſé d'impoſture pour avoir débité la même choſe de Pomponius » Lætus, de Jaſon Maynus, de Chriſtopble Longueil, & de Cælius Calca- » gninus. » Qua ex re quid aut pro ſe efficiat, aut contra nos plane non video. Sed ne dimittamus Niceron, qui, poſt allata nuper adverſus legitimum Mantuani ortum argumenta, ſibi illud, & rurſus quidem ex De la Monnoye (*Menag.* tomo citat. pag. 275.) objectat (*Mémoires* tomo citat. pag. 106.) fuiſſe Auctorem N. liberaliter ſemper a familia Hiſpaniola, Ptolemæo præſertim ut fratrem non agnitum modo, verum & dilectum plurimum, & excultum. Qua obſervatione ut cito ſe expediat vir doctus continuo illud reponit factum id eo, quod refloreſcentibus vix dum in Italia literis, Auctor N., cujus doctrinæ fama longe jam, lateque obtinuerat, nonnihil etiam decoris Hiſpaniolæ familiæ adjiceret. Verum etſi belle hæc omnia, atque eleganter; vereor tamen, ne non æque omnia exacte: quamquam enim non illud conſtat ſtudio partium in Mantuani elogio contexendo, ac deſcribendo illius ortu abduci debuiſſe Paulum Jovium, ita tamen, neſcio unde, ſuccenſum lineas illas Nucerienſem antiſtitem ſcriptitaſſe unus is neget, qui necdum legerit, quique non illud ſciat Jovii fidem non uno loco, nec quoad Mantuanum ſolum, pluribus fuiſſe, iiſdemque ſelectiſſimis viris (ex nota 28. 29.) ſubleſtam, ac dubiam. Sed enim ultro illud concedamus egiſſe bic ingenue Jovium, annon labi & ipſe hoc loci potuit, ac cæſpitare? Equidem ex quo patriam Mantua haud multum diſſitam nactus eſt Jovius ipſum quoad Mantuanum falli haud potuiſſe concludere videtur Niceron; at enim quidni ille errarit, qui Apologiam a Mantuano pro univerſo Ordine ſcriptam, ceu ſcriptam pro ſe ipſo, quod ſuo loco dicemus, exiſtimavit, quique, ut & ipſi Niceron adnotatum, quoad Auctoris N. mortem ſupino rurſus peccavit errore? Ea interim adiſis, quibus reliquas Niceronii animadverſiones inferius excipiemus.

Digitized by Google

mirum ſi nec deſunt auctores, qui Jovio, hacce in re, adverſentur, veluti, ne immenſam huc advocem noſtratium catervam, Moreri quoque (33) animadverſum eſt, clariſſimoque Claudii Fleury continuatori (34), qui & in rem ſuam, ac nobis faventes laudat Voſſium (35), Dupin, quemque nos omittimus, noſtrum Petrum Lucium (36), multum & ipſum

---

(33) » Selon Paule Jove étoit bâtard de la famille de Spagnoli à Mantoue. » Le témoignage de cet auteur eſt démenti par celui de diverſes autres. » *Grand Diction.* tom. XIV. art. *Spagnoli* pag. 1511. edit. Pariſ. MDCCXLVIII.

(34) *Hiſt. Eccl.* liv. CXXIV. n. CXXXIX.

(35) *De Hiſtoricis Latinis* lib. III. Quamquam unum hoc habet Voſſius ibi (cap. XI. pag. m. 664.) « Baptiſta Spagnolus Mantuanus XV. Kal. Maii, » anno vel CIↃCCCCXLIV., vel potius quadriennio poſt e gente honeſta, » ſed, ut Jovius in elogiis ait, damnato fuit coitu natus, quod tamen ne» gat Petrus Lucius Belga in Carmelitana Bibliotheca. » Scilicet unus Jovius eſt, ad quem ſe referunt ſcriptorum complures Voſſius, Konig, Baillet.

(36) Cit. *Biblioth. Carm.* Hiſce, quod nuper monebam addendus Antuerpienſis Mantuani editor Cuperus, qui *Epiſtola tom. I. Nuncupatoria* appellat legitimi ejus ortus impugnatores ad panegyricum a Mantuano in Brixiam, ideo, ut ipſe putat, digeſtum, quod inde eſſet ex matre oriundus, uti vel recitatum cap. præc., ac nota 31. illius initium utcumque etiam ſuadet. Verum hiſce haud permotus Niceron. « Cet raiſonnement, inquit, (loc. cit. » pag. 121. poſt De la Monnoye cit. loc. pag. 276.) feroit plauſible, ſi dans » ce panégyrique il y avoit la moindre choſe, qui tendit à faire croire, » que Conſtance étoit la mere du Poëte, mais comme il ne ſe trouve pas » dans cette piece longue de près 700. vers, un ſeul mot de Conſtance, ni » de ſa maiſon, on peut tirer de là une conſéquence toute oppoſée à celle » de Cuper, & dire, que, ſi le Poëte avoit été fils de Conſtance, il n'auroit » pas manqué une ſi belle occaſion de féliciter la Ville de Breſcia d'avoir » élevé dans ſon ſein les ancettres de cette femme. » Verum dictam orationem illam a Mantuano eam fortaſſis ob cauſam, quod inde eſſet ipſe oriundus priores, ut inquiebam, panegyrici verſus utcumque ſuadent, quin nec conſtat quænam alia Mantuano eſſe potuerit pangendi ejuſce carminis movens, probabilis cauſa. Siluit equidem eo loci Conſtantiam, at ſeu cauſa alia quacumque, ſeu forte ne philautiæ poſtularetur ea præſertim recoquendo, quæ alibi de Brixia, de matre Conſtantia, de Maja domo a Poeta N. copioſe narrata obſervavimus cap. præc. Ceterum, ut illud quoque hoc loci moneam, fidit Niceron, & fidit nimium negativis id genus argumentis.

Sed pergit ultro De la Monnoye (loco citato pag. 277.) hæc de laudata a Poeta N. Maja gente ſcribens: « Il eſt vrai qu'il prouve magnifiquement » leur nobleſſe, & leur mérite dans l'Épithalame de ſon frere Ptolemée; » mais il eſt viſible, que c'eſt uniquement par rapport à celui-ci, de qui » Conſtance étoit véritablement mere.

. . . . Conſtantia mater
Hinc Germane tibi nuribus prælata pudicis.

» Il lui auroit été facile de mettre:

. . . . Conſtantia nobis
Hinc mater germane aliis prælata puellis:

ipſum pro nullis ſaltem firmata argumentis, imo probabiliter mendaci Pauli Jovii aſſertione elevanda. Hiſce adverſus Nucerienſem hiſtoricum adnotatis, & adverſus eadem, poſt illum, effutientem Thevet, quem Ladvocat (37) credulum nimis, judicioque deſtitutum pronuntiat, imo quem Nicolaus Lenglet (38) temerarium vocat, atque ignorantem, videamus nunc quo demum tempore vir ille clariſſimus, noſtrique Ordinis eximium decus lucem aſpexerit. " Natus eſt inquit Ventimiglia (39) „ natus eſt Baptiſta in Urbe „ Mantua die XV. Aprilis MCCCCXLVIII. „ Coſmas Villiers (40) natum illum ſcribit die XVII. ejuſdem menſis an. MCCCCXLIV. Quum tamen ut Ventimiglia, Moreri, Petrus Lucius, aliique, ita & ipſe Villiers (41) obiiſſe illum cenſeat anno Domini MDXVI., XIII. Kal. Aprilis, ætatis LXVIII. manifeſto inde concludas anachroniſmum, qui, vel prælo currente, vel Bibliographi ncogitantia quadam irrepſit, corrigendum, patriſque Ventimiglia, quoad annum ſaltem, retinendam lectionem, quam & Lezana (42), & Daniel a V. Maria (43), & Moreri (44), & Voſſius (45), &

» Le *nobis* auroit purgé la naiſſance de tout ſoupçon, & *aliis prælata puellis* » auroit fait pour Conſtance une louange moins équivoque. » At I. Hic iterum negativum argumentum obtruditur. II. Quum jam de patre quoad ſe etiam inibi diſſeruiſſet, veritus fortaſſis eſt Poeta N., ne ſi & de matre, quoad ſe rurſum loqueretur, non fratris, ſed ſuas, arrepta ex fratre occaſione, laudes videretur præcinere. Ceterum ex panegyrico in Brixiam dicto conjici illud poſſe, quod ipſi contendimus, jam ſupra eſt animadverſum; præſertim quum ſecus dicendum illud foret *νόθειαν* ſuam Mantuanum ipſum ipſis carminibus ſuis teſtatam voluiſſe, hancque Patri, quem plurimum, ut notatum jam eſt, venerabatur, atque colebat, inurere humanam quidem, aſt non a filio ſolemniter adeo patefaciendam immodicæ *φιλογυνίας* dicam. Quod ſi omnino illud concedendum ſit aliam a Conſtantia matrem Poetæ N. fuiſſe, malim ego iteratas Patris nuptias, vel ex immani una ætatis diſcrepantia, quæ Mantuanum inter, ac fratrem ejus Ægidium (cap. præc.) intercedebat, utcumque conjeciſſe.

(37) *Diction.* art. *Thevet*

(38) *Méthode pour étudier la Géographie* tom. I. diſcours prélim. §. XI. pag. m. 73.

(39) *Hiſtoria chronologica priorum Generalium Ordinis B. V. Mariæ de Monte Carmeli.* Vita XXXI. pag. 167.

(40) *Biblioth. Carmel.* tom. II. coll. 217. 232.

(41) Ibid. col. 218.

(42) *Annal. Carmel.* tom. IV. ad an. Chriſti 1447. n. 2.

(43) *Speculi Carmelit.* tom. II. n. 3427.

(44) Loc. ſup. cit.

(45) V. præc. notam 35.

& Bernardus De la Monnoye (46), & Claudii Fleury continuator (47), aliique fere omnes, uti ſcribit Ludovicus a S. Thereſia (48) exhibent, atque confirmant. Nulla hinc Chronogrammati illi adhibenda fides, quod ſic a Laurentio Berti refertur (49), ut annum exprimat MCCCCXLII. Ceterum natalem Auctoris N. diem non ante annum Chriſti MCCCCLVII. collocandum eſſe, quo nimirum Summus Eccleſiæ Pontifex Nicolaus V. die VI. Martii creatus eſt (50), vel ex ipſo Poeta N. efficimus, ſic de ſe, quodam operum ſuorum loco (51), ſcribente:

Iſtius accepi lucis primordia, quintus
In ſolio Petri quum Nicolaus erat.

Quandoquidem vero, ut nunc diſſeruimus, ſeculo Eccleſiæ XV. labente, ac ineunte XVI. floruit, hinc ab aliis ſcriptoribus, veluti a Jacobo Gaultier (52), Jodoco Coccio (53), Hieronymo Briani (54), Teophilo Raynaudo (55), Petro Lambecio (56), Cherubino a S. Joſeph (57), Bollandia-

---

(46) Note 3. ad Hadriani Baillet *Jugement des Sçavans* tom. IV. n. 1247. quo loci Jovium carpit, quod natalem Auctoris N. annum adſignarit MCCCCXLIV.

(47) Loc. ſup. cit.

(48) *La ſucceſſion du Saint Prophete Élie* chap. CCLIV. pag. 582. ſæpe inde hunc appellabimus, qui etſi vix 12. paginas in Mantuani percenſendis rebus inſumpſit; omnium tamen, quos noverim, & fuſiſſimus eſt, & maxime accuratus.

(49) *Breviar. H. E.* nota ad cap. IV. ſec. XVI.

NasCItVr. In. terris. MonaChVs. Baptista. sVosqVe.
VatICIna. VersVs. e. genItrICe. bIbIt

(50) Daniel Papebrochius *Conatu chronico-hiſtorico ad catalogum Pontificum* parte III. n. CCXII.

(51) *Vitæ ſuæ Epitome ad poſteritatem* tom. Opp. II. fol. 387. diſticho 2.

(52) *Tabula chronographica Status Eccleſiæ cath.* ſec. XV.

(53) *In Theſauro Catholico*.

(54) *Dell' Iſtoria d' Italia* parte II. an. 1458. pag. m. 871., adde Jacobum Gordon tom. II. *Operis chronologici* ad an. 1487. pag. m. 562.

(55) *Breviario Chriſt. chron.* parte II. tom. Opp. XI. edit. Lugd. in fol. 1665.

(56) Appendice quatuor priorum capitum libri II. *Prodromi Hiſtoriæ literariæ*. Sciagraphia capitis XXXI. ſec. poſt Æ. C. XV. pag. m. 276.

(57) *Bibliotheca criticæ ſacræ* tomo I. diſſ. I. quæſt. II. art. V. ſect. III. §. I. pag. 116.

Digitized by Google

landianis (58) inter ſeculi XV. ſcriptores, ab aliis, ut a Ludovico Elia Dupin (59), a Joanne Dominico Muſantio (60), ab Ignatio Hiacyntho Amat De-Graveſon (61), a Berti, aliiſque inter ſcriptores, qui ſeculo Eccleſiæ XVI. inclaruerunt, eſt adnumeratus.

Natalis anni epocha reſtituta, pronum eſt de impoſito Auctori N. nomine pauca dicamus. Qua in re levis alia attingenda nobis eſt de ipſo nomine quæſtio. Vocant illum nonnulli *Joannem Baptiſtam*; ſed errore id factum contendit poſt N. Lucium (62), alioſque, Petrus Niceron. Sane ſcriptores complurimi *Joannem* omittunt Badius Aſcenſius, Konig, Graveſon, Ladvocat, Ventimiglia, alii, quos ſecutus Coſmas Villiers Poetæ N. articulum dedit *Bibliothecæ Carmelitanæ* Tom. I. ſub lit. B. Quamquam hoc controverſiæ genus ei mihi non videtur abſimile, quod de *Agellius* potius quam *Aulus Gellius* dicendo agitatum olim apud Hub Giphanium (63).

(58) *Actis SS.* tom. III. Septembris, die ejus menſis X. In S. Nicolai Tolentinatis gloria poſthuma §. XIV. n. 187., quo loci vocatur *ſeculi XV. eximius Poeta*.

(59) *Bibliotheque des Auteurs Eccl.* ſiecle XVI.

(60) *In tabulis chronologicis* ætatis VII. tabula XXXV. ſec. XVI. pag. m. 211.

(61) *Hiſt. Eccl.* ſec. XVI. colloq. V.

(62) *Bibl. Carm.* fol. 16. Florent. edit. 1593., Alegreus Caſanate *Paradiſus Carmelitici Decoris* ad ann. Ch. MDXIII. pag. m. 384., Petrus Niceron (*Mémoires &c.* pag. 111.) de Antuerpienſi Mantuani editione hæc habet: « On a » mal à propos donné ici à Mantuan le nom de Jean Baptiſte, qu'il n'a ja- » mais pris ne s'étant appellé, que Baptiſte. » Quod Niceroni judicium probatur & Petri Villiers (*Bibl. Carm.* tom. II. col. 224.) At vero arguat nos in ſua *Eruditorum Charlataneria* pag. m. 118., Menkenius, ſi vietis id genus, rancidiſque obſervatiunculis tempus necquicquam obteramus.

D. Paquier libro ad calcem ſuorum Epigrammatum rejecto, quem *Icones* inſcripſit, Auctorem N. alio etiam nomine *Fauſtum* appellat, hocque illi diſtichon ſacrat:

Mantua felicem generat fœcunda Maronem,
Hæc eadem fauſtis me tulit auſpiciis.

Ego Fauſti nomine deſignatum Auctorem N. nuſquam reperio, veroque ſimilem habeo clariſſimi De la Monnoye eam in rem conjecturam (ad Baillet *Jugement &c.* cit. n. 1247. pag. 324. nota 3.) « Paquier ſe trompe, & ſon er- » reur peut venir de ce que Mantuan s'eſt déſigné ſous le nom de Fauſtus » dans ſes Eglogues. » Etſi enim neque illud concederem, eo ſub nomine latuiſſe Mantuanum; certum nihilominus eſt putatum id nonnullis.

(63) Epiſt. ad Muretum, quæ inter Mureti alias eſt LXXVII.

Digitized by Google

Illius cognomen quod attinet, dictum jam cap. præc. eum a Patre, qui utpote Hiſpani viri filius, *Hiſpanus* appellatus eſt, *Hiſpanioli* cognomen ſortitum, quo etiam patronymico & fratrem ejus Ptolemæum a Mario Æquicola (64) deſignatum invenio, unde & corruit P. Villiers (65) ſuſpicio, Ptolemæum ſcilicet nonniſi uterinum fuiſſe Baptiſtæ N. fratrem, id, quod & ex ſuperius citato ad Ptolemæum ipſum epithalamio falſi revincitur. Sed & *Hiſpanioli* cognomine alterum ex fratribus ſuis Fridericum ipſemet Poeta N. appellat Operum ſuorum Tomo I. (66). Quin & id de reliquis Mantuani fratribus teſtatur Ludovicus a S. Thereſia (67). Porro hoc a natione, qua oriundus Scriptor N. erat, ducto cognomine libenter hic dimiſſo, ut & nihil de agnomine alio *Gonzaga* hoc loci ſubjiciam, quo ſemel, atque iterum (cap. præc.) appellatum vidimus Scriptoris N. fratrem Ptolemæum (68), unum illud obſerves Auctorem N. a Mantua civitate, quam patriam ſortitus eſt, *Mantuanum* dictum, veluti ab Aſcra Bœotiæ vico Heſiodus, a Stagira magnus ille ſcholarum, ac Peripati Coryphæus Ariſtoteles, ab Arpino Tullius, a Walden Thomas N. Waldenſis. Ut adeo duplex ſaltem Heroi N. cognomen fuerit: *Mantuani*, ceu nuper dictum, atque a Patre Hiſpano *Hiſpanioli*, quo fere pacto a Mœone Patre Homerus (69), atque a Laerte Ulyſſes (70) *Mœonidis*, ac *Laertiadis* cognomen eſt aſſecutus; ſcilicet longe jam,

ac

---

(64) Opp. Mantuani tom. IV. pag. 88.
(65) *Biblioth. Carm.* tom. I. col. 226.
(66) Carmine *De morte Friderici Spagnoli fratris ſui.*
(67) *La ſucceſſion* chap. CCLIV. pag. 581.
(68) Non id familiæ, ſed unius Ptolemæi cognomen fuit, qui dicitur a Mantuano ipſo (*Dialogo contra detractores* tom. IV. pag. 56.) « Ob ſingula» rem fidem, atque induſtriam in Gonzagarum familiam privilegio adſcitus » Hinc & *Hiſpanioli* paſſim, & paſſim *Gonzaga* appellatus. Atque hinc factum fortaſſis, ut Ptolemæus non ejuſdem cum Auctore N. Patris ab aliquibus crederetur; etſi immerito.
(69) Ex Homeri Biographis Henricus Stephanus *Theſauri linguæ Græcæ* tom. II. col. m. 1293. V. ΟΜΕΡΟΣ
(70) Conferantur Horatii Scholiaſtæ ad ejus illud:

O Laërtiade quicquid dicam aut erit, aut non.
Lib. II. Sat. V.

ac late obtinuerat uſque a ſæculo Eccleſiæ X., ac præſertim XI. id moris a Joanne Mabillon (71) commemoratum, ut ab arte, dicterio, a patre, matre, loco, urbe, regione cognomina imponerentur.

Brevis hic attexenda eſſet Vatis N. proſopographia, ni ejus paſſim icones circumferrentur. Quam æneo ſchemate N. P. Carolus Caporali expreſſit, quamque recudit Ventimiglia (72) elegantis eum formæ prodit, editæ frontis, ac latioris, aſpectu hilari, gravi tamen, ac decoro; etſi eam haud veram eſſe ejus effigiem, nec recte ſatis ab Iconographo cælatam aſſereret Thomas Wolſius, qui Epiſtola Jacobo Wimphelingio data Argentinæ VI. Kal. Martii MDIII. hæc inter alia ſcribit (73). "Fortaſſe hic ſcire deſideras „ qua ſtatura, & forma ſit ipſe Mantuanus Baptiſta . . . . „ Scias id rectiſſime poſſe de Baptiſta dici, quod Homerus, „ & cæteri Vates de Ulyſſe retulerunt, qui corpore par- „ vus, & forma indecorus, ſed ingenio maximus, & ani- „ mo ſpecioſiſſimus fuiſſe perhibetur. Verum eſt illud Poe- „ ticum:

» Non uni dat cuncta Deus, formoſus ut idem
» Sit ſimul, & prudens, ac multa laude difertus
» Viribus eloquii, quo fit, mirentur ut unum.»

Hactenus Wolfius, quod ejus de Mantuani ſpecie judicium aſſumpſiſſe item videtur Freytag (74). Sane Mantuani effigies, quam in Lugdunenſi illius Operum editione an. MDXVI. ponendam curavit ipſe ejus Auditor Stephanus Baſſignana, eum, etſi non deformem, certe non nimis venuſtum exhibet. Conferatur interim *Chalcographica* Jani Jacobi Boiſſard *Bibliotheca* (75). Nobis alio nunc conten-

(71) *De re diplomatica* lib. II. cap. VII.
(72) Cit. *hiſtoria chronol. Priorum Gen. Carmelit.*
(73) Refert illam Freytag *Apparatus Litterarii* tomo II. notis ad §. XXC. pag. m. 948.
(74) Loco nuper cit.
(75) Tomo I. pag. 168. aliud Vatis N. Numiſma appellat Angelus Calogerà. *Opuſc.* tom. XXXV. pag. 41., quam nos hic cudimus Auctoris N. effigiem, eam ex citata illius icone, ab ejus Auditore Stephano Gorgonio edita exprimi iterum, ac delineari curavimus.

dendum: etſi autem diſſeruimus hæc fortaſſe pluribus; facile tamen ignoſcat æquus rerum æſtimator, quum probe illud intelligit de Mantuani ſtirpe, ortu, ætate non eandem omnium fuiſſe ſententiam; ex quo igitur ſemel dicendum de iis fuit, rem clarius explicare adgreſſi ſumus. Quamquam, ubi nulla recurrit, quæ ſecus exigat, peculiaris circumſtantia, equidem ſatius fuerit illuſtrium Virorum geſta confeſtim exordiri, unde aliquid in legentis utilitatem, & commodum derivari poſſit. Quæ ſane ſcribendi methodus & veteribus Biographis probata eſt, & nuper Viri ingenio, doctrina, atque non incondita, vacuaque, uti aſſolet, ſed plane ſingulari, exquiſita, penitiſſima eruditione ſpectatiſſimi Eandi in Regia hac Univerſitate Geometriæ Anteceſſoris exemplo commendata, qui cl. P. Joannis Baptiſtæ Beccaria memoriam illuſtraturus fere ſtatim a primis illius in Literariam Rempublicam meritis Opus ſuum eſt auſpicatus.

CAPUT III.

EDUCATIO, VITA SÆCULARIS.

Baptistam Mantuanum ingenue fuiſſe, ac liberaliter educatum nefas eſt ambigere, utpote apud Nobiles Parentes, & morum probitate, ac civilitate conſpicuos (76). Itaque rationis uſum vix Auctor N. attigerat, ut illum continuo ad grandia editum, ac literis, natura ipſa devotum adverterunt parentes, genitor in primis, cui nihil fuit antiquius, quam puerum iis omnibus cumulare ſubſidiis, quibus

(76) Argumento utor Antonii Caraccioli in S. Cajetani Thienæi vita. Cap. I. n. 7.

quibus in virum, ut doctrina, ſic & potiſſimum pietate excellentem evaderet, quod ipſe Auctor N. ſuo confirmat teſtimonio (77).

A teneris colui Muſas, mihi ſemper ad artes
Ingenuas calcar cura paterna fuit.

Atque hinc, ſi id ſuſpicari nunc liceat, ortum habuit dilectio illa, ac cordis in patrem affectio, quam Mantuanus ipſe eundem patrem ſuum alloquens, conceptis hiſce verbis, teſtatur (78): « Qui te mihi charior ſit, inter mortales habeo neminem ». Unde & illius vita jam functi fatis utique memor vivebat, ut ejus quoque verbis ediſcimus (79).

Propterea manes ejus reverenter adoro,
Et precis aſſiduæ ſedulitate juvo.

Quum Grammaticæ operam dediſſet optimo uſus Magiſterio (80) Gregorii Tiphernatis Grammatici ſua ætate celeberrimi, cujus Marcus Ant. Coccius Sabellicus (81), Raphael Volaterranus (82), aliique (83), ne ipſo Mantuano excepto

(77) *Vitæ ſuæ Epitome* diſt. 4. tom. Opp. II. fol. 387. Huc referas, quæ idem habet *De præſidentia Oratoris, & Poetæ* tom. I. fol. 173.

O mihi Caſtalides gratiſſima Numina Nymphæ,
Quæ puerum quondam me ſuſcepiſtis alendum.

(78) Epiſtola, qua eidem ſuum *De vita beata* Opuſculum nuncupavit tomo IV. fol. 178., idque anno, ut colligit N. Lezana (*Annalium* tomo IV. ad an. C. 1464. n. 6.) MCCCCLXIV., qui probabiliter annus fuit Tyrocinii, quo labente, vel certe jam abſoluto hæc ſcripta ſunt, quum ibidem fol. 208. aperte dixerit: « quoniam nos in Carmelitarum tribu numeramur ».

(79) *Epitome vitæ ſuæ* diſticho 5. ł.um, uti & Avum ſibi cephalæa abreptos queritur Auctor *De patientia* lib. II. cap. XXX.

(80) Teſte fratre ejus Ptolemæo ea, quam pro eodem Mantuano ſcripſit, *Apologia* tomo ejus Opp. IV. pag. 123., ac J. A. Fabricio *Bibliotheca mediæ, & infimæ latinitatis* lib. VIII.

(81) Tomo II. *Enneadis* X. lib. VI. col. m. 950.

(82) *Anthropologiæ* lib. XXI. col. m. 640.

(83) V. Tiphernatis Elogium penes Calogera *Nuova Raccolta d' Opuſcoli* tomo XI. pag. 327.

Digitized by Google

excepto (84), meminere, Humaniorum Literarum curriculum Mediolani (85) emenſus eſt, ac inde Patavium profectus, ut Philoſophicis diſciplinis in celeberrima illa Univerſitate, quod & ipſe quodam loco (86), teſtatus eſt, imbueretur, quo tempore octo Priores *Eclogas* ſuas eſt modulatus (87), in quarum V., & VIII. perſonatum *Candidi* nomen ab Auctore adſcitum ad albicantem Carmelitarum habitum, quo eſſet ipſe indutus, alludente exiſtimavit Jodocus

---

(84) Non uno Operum ſuorum loco, veluti *Ecloga* V. v. 101.

Hæc me jampridem memini didiciſſe ſub Umbro

Atque *Ecloga* VII. v. 10.

Magna canam, nobis quæ quondam tradidit Umber.

Scilicet Gregorius Tiphernas ille erat Umber, ad quem ſe ſe referebat his locis, ac præſertim *Ecloga* IV. Poeta N., ut Thomæ Wolfio ipſe aperuit ab eodem interrogatus, quis demum eſſet Umber ille, quem in Eclogis impenſe adeo, adeo frequens laudaret. Id, quod Jacobo Wimphelingio eſt poſtmodum a Wolfio renuntiatum, Epiſtola ad eundem Argentinæ ſcripta VI. Kal. Martii an. M.D.III., quam, ut olim jam monitum, appellat Freytag *Apparatus Litterarii* tomo II. notis ad §. XXC. pag. 947. Nimirum, quod toto vitæ hujus contextu pateat, vir erat Mantuanus, ut virtutibus reliquis, tum vero grati animi ſenſibus magnopere commendabilis.

(85) Mantuæ ſcribit Ludovicus a S. Th. *La ſucceſſ.* chap. CCLIV. pag. 582. Quum tamen aſſerat Mantuanus ipſe Epiſtola ad Franciſcum Picum Mirandulanum (inter ejuſdem Pici Epiſt. lib. Epiſtolarum II. pag. m. 1209.) audiſſe ſe Præceptorem Georgium Merulam, qui, ut lego notatione quadam ad ejuſdem Merulæ præfationem in Rei Ruſticæ Scriptores (Appendice ad *Bibliothecam Smithianam* Venetiis in 4. editam an. 1755. pag. CXIII.) Humanas Litteras Mediolani X. annos docuit, exinde Græcas, atque Latinas Litteras Venetiis annos VIII. ſupra X., unde Mediolanum anno MCCCCLXXXII. reverſus ſupremum ibi diem clauſit an. MCCCCXCIV. XV. Kal. Aprilis, jam illud manifeſto eruimus Poetam N., qui an. MCCCCLXV. ſuam jam Profeſſionem emiſerat, quique, anteaquam Religionem intraret, Patavii philoſophari incœperat, Mediolani Merulam audiſſe, quum, ut patet, anno tantum MCCCCLXIV. Mediolano Venetias tranſmiſerit celebre illud Alexandriæ N. decus, atque ornamentum.

(86) « Dum in Gymnaſio Paduano philoſophari inciperem » inquit *præf. in Eclogas* ad Paridem Cæreſarium Tom. Opp. I. fol. 54 Qui vero illum philoſophicis diſciplinis inſtituit, fuit is fortaſſe Paulus Bagelardus Patavinus, quem adhuc juvenem Philoſophiam in patria ſua docuiſſe tradit Scardeoni, atque, ex ipſo, Joannes M. Mazzuchelli (*Gli Scrittori d' Italia* vol. II. parte I. pag. 42.) Obiiſſe autem MCCCCXCIV., & quidem jam ſenem ſcribit Comnenus Papadopoli (*Hiſtoria Gymnaſii Patavini* tomo I. lib. III. ſect. II. cap. V. § XXIV.).

(87) Tom. I. cit. fol. 57. -- 88.

Digitized by Google

docus Badius Aſcenſius (88), etſi immerito, quum nondum eſſet tunc Ordinem ingreſſus, ut vel ipſe quoque Mantuanus ſcribit Operum ſuorum Tomo I. (89). Errat igitur Aſcenſius, niſi forte *Candidi* nomen aſſumpſiſſe dicatur Mantuanus, quum Religionem jam amplexus Eclogas illas emendaret anno, ut ex Mantuano ipſo eruimus (90) MCCCCXCVII. labente, ac ineunte MCCCCXCVIII., quæ ſane conjectura ex eo fortaſſis firmari poſſit, quod duabus Eclogis IX., & X. poſtremo adjectis *Candidi* nomen aſſumitur.

---

(88) Epiſtola ad Ladislaum, & Clementem Eclogis Auctoris N. præfixa tom. I. fol. 56.

(89) Citata *ad Paridem Carſarium in ſuas Eclogas Præfatione*, quo loci hæc habet: « Intellexi apud quemdam literatum virum eſſe quemdam libellum » meum, quem olim ante Religionem, dum in Gymnaſio Paduano philoſo- » phari inciperem ludens excuderam, & ab illa ætate *Adoleſcentiam* vocave- » ram. Carmen eſt Bucolicum in VIII. Eclogas diviſum. »

(90) Citata *ad Paridem Epiſtola*, quam ei Auctor dedit anno, ut ipſa præfert MCCCCXCVIII., & qua de ſuo hoc *Eclogarum* Opuſculo ita ſcribit: » Hoc igitur ſic caſtigatum, duabus aliis Æglogis, quas in Religione luſi, in » calce ſubjunctis, tibi, o Pari . . . . . libentiſſime dono . . . . . Vale Ka- » lendis Septembris. M.CCCC.XCVIII. » *Æglogas* habent omnes fere editiones ab ἀίξ ἀιγὸς *Capra*, *æ*, nec prorſus immerito, ſeu quod de Caprariis frequens inibi injicitur ſermo, ut *Ecloga* IV. v. 20. 21.

Conductus mercede puer præfectus ovili
Aſſidue paſcebat oves, caprum, atque capellas,

ſeu quod, licet de ovium tantum cuſtodibus loqueretur carminibus hiſce ſuis Mantuanus, Caprarii tamen, atque Opiliones promiſcue invicem confundi ſolent, ut ipſo hoc recitato Mantuani loco. Videſis, quæ ex Virgilio (*Ecloga* II. 33.) obſervat Pagnini (*ad Theocriti Idyllium* I. 23.

CAPUT IV.

Digitized by Google

CAPUT IV.

IN CARMELI RELIGIONEM INGRESSUS.

QUID de ſeculari Mantuani converſatione ultra adjiciamus non plane ſuppeditant, quæ de vita illius præ manibus ſunt, qua veterum, qua recentiorum monumenta, niſi unum hoc fortaſſe, quod adoleſcens erat, ut optimo, ac præcoci donatus ingenio, ſic & magno exæſtuans virtutis, pietatiſque amore, quod & ipſe ingenue aliquandò fatebatur (91). Quinimo ſolitudinis ſtudio incenſus, quo & pietatis exercitiis, & ſcientiarum cultui impenſius a ſeculi ſtrepitu, hominumque frequentia ſemotus incumberet, atque ejus, quæ poſt funera manet, vitæ deſiderio (92) flagrans de capeſſendo Religioſæ perfectionis ſtatu deliberare cœpit, quumque SS. Dei Matrem ſingulari devotionis affectu veneraretur, & coleret, obvium fuit, ut quem in Deiparæ cultum ſpeciali quodam modo inſtitutum noverat Religioſorum Ordinem, hunc piiſſimo animi motu optaret. Florebat per id temporis Mantuæ Carmelitarum illa Reformatio, quæ poſtmodum ab hac celeberrima Italiæ Urbe *Mantuana* eſt dicta, cujus exordia a Martini V. temporibus, anno circiter MCCCCXXV. repetit Joannes Maria Penſa (93), quamvis Congregationis illius magnorum Virorum fœcundiſſimæ parentis levia quædam initia poſita jampridem fuerant, uſque ab anno Domini MCCCCXIII. in Syl-

(91) » Dedit enim mihi bonorum omnium dator Deus, ut a ſcientiis indiſ-
» ſolubilem, ſic ad bene, beateque vivendi curam conſtantem animum. »
Sub finem *Apologetici in Maſtigophoros* tom. Opp. I.

(92) Id alii ex Ecloga ejus VII. Ego ex ejus vivendi ratione conjicio.

(93) *Teatro degli uomini più illuſtri della Famiglia Carmelitana di Mantova*. *pag.* 20.

Sylvarum conventu auctore B. Angelo Mazzinghi (94). Huic igitur Mantuanorum PP. Congregationi nomen dare & popoſcit, & obtinuit Hiſpanioli, qui, relicto lare familiari, Ordinis Mariæ ſpecialiter conſecrati habitum in patrio ſuo conventu induit anno, juxta Ludovicum a S. Tereſia, Ventimiglia, ac dubitanter id aſſerentes Villiers, & Niceron, M. CCCC. LXIV., nimirum ætatis XVI. Id, quod, anno tamen haud deſignato, ipſe de ſe ſcribit his verbis (95).

Relligio placuit juveni, placuere cuculli,
  Vitaque clauſtrali ſemiſepulta domo.
Cum patribus vixi, quibus a genitrice Tonantis
  Nomen, & Eliæ ſub ditione fui.

Erat per id temporis in Mantuæ Carmelo Prior (96) P. Baccalaureus de Vapingo, Novitiorum autem cura demandata Viro, ut ſanguinis nobilitate, ſic & pietatis laude commendatiſſimo Ven. Bartholomæo Fanti, ſub cujus diſciplina poſitum ab Auctore N. altioris perfectionis tyrocinium ſcribit Joſeph Maria Fornari (97), ac Marianus Ventimiglia (98), qui rurſum obſervat Mantuanum N. tanto uſum Magiſtro eo perfectionis brevi deveniſſe, ut dignum illum habuerit ejus ipſe Sanctiſſimus Moderator, ac in rebus ſpiritualibus Pater, quem ſibi ceu abſolutiſſimum veræ pietatis ſpeculum imitandum proponeret. Quod & Philippo a SS. Trinitate (99), & Villiers (100) adnotatum. Puto hinc,

D nec

(94) Hujus res geſtas, preſſiori calamo, enarrat Ventimiglia (*Il Sacro Carmelo Italiano* lib. II. cap. I. §. X.) Fuſiori autem Codex vitæ illius *MS.*, quem in laudato Sylvarum conventu adſervari indicat P. Villiers (*Bibliothecæ Carmelitanæ* tomo I. col. 105.).

(95) *Vitæ ſuæ Epitome* diſt. 6. 7.

(96) Carolo Vaghi teſte (*Commentar.* lib. III. pag. 199) fuit is Carmeli Mantuani Prior ab anno MCCCCLXIII. ad MCCCCLXV. Idemque probabiliter ac Petrus de Vapingo, quem inter primos Tridinenſis Carmeli PP. appellat poſt Vaghi (lib. cit. pag. 304.) Joannes Andreas Iricus civis Tridinenſis (*Rerum Patriæ* lib. II. pag 211)

(97) *Anno memorabile* tom. I. pag. 731.

(98) *Il Sacro Carmelo Italiano* lib. II. cap. II. §. III.

(99) *Decore Carmeli Religioſi* parte I. pag. 175.

(100) *Biblioth. Carm.* tom. I. col. 243.

nec fortaſſis immerito SS. cœnobii illius PP., ac omnium maxime laudatum Novitiorum Magiſtrum, quum propius adoleſcentis virtutem ſpectare datum eſt, in magnam futuræ illius & ſingularis doctrinæ, & eximiæ pietatis ſpem veniſſe, ut adeo haud facile divinaverim, qui ardentius optarent, an Mantuanus ſe Deo ſolemnibus votis holocauſtum cito offerre, an PP. illi religioſiſſimi tantæ virtutis, peroptimæque indolis adoleſcentem individuum ſibi comitem, atque exemplar virtutum abſolutiſſimum, nexu Religionis perpetuo, adſciſcere. Utcumque fuerit ceſſit res afflante Numine utrinque ex voto. Itaque exacto ſumma cum omnium admiratione probationis anno, votiſque ſolemnibus Deo (101) nuncupatis, ea, quæ adhuc ſecularis ſtudiorum gratia inchoaverat, incœpit rurſum itinera ab ipſo his verbis (102) aliquando commemorata:

Me virtutis amor multas perduxit ad urbes,
Et Sophiæ varios fecit habere duces.

Romam igitur ſtudiorum cauſa miſſus eſt, inquit Ludovicus a S. Tereſia (103): quamvis aliquot antea *Profeſſorii*, ut dicimus, annos illi adſignare videtur Ventimiglia (104). Illud interim omnino certum, quod, ubi Romam petere licuit, magnam confeſtim ſui admirationem omnibus fecit, multoſque ſibi neceſſitudine devinxit, quos inter Ludovicum a S. Tereſia (105) præcipuum nominat Falconem Sinibaldum Romanæ Urbis Patricium, Curiæque Apoſtolicæ

(101) Non ultra anni M. CCCC. LXV. initium, quo videlicet a Patribus Ferrariæ ad Congregationis comitia coactis XXV. Junii deſignatus eſt Auctor N. ad Orationem Capitulo ſequenti habendam, teſte Carolo Vaghi. (*Commentariorum* lib. II. pag. 99) Miraris Lector id muneris Auctori N. annum ætatis XVII. vix attingenti collatum: nec tamen unus eſt Mantuanus, qui ad dicendum coram Patribus ad comitia congregatis adhuc junior acceſſiſſe legatur: quin memorat N. Marianus Ruele Orationem a N. Joanne Stephano Chizzola quum XVI. eſſet annorum coram Reverendiſſimo habitam in comitiis generalibus Placentiæ coactis MDLXXV. XI. Kal. Junias. (*Della Biblioteca volante* Scanzia XXII. pag. 114.

(102) *Vitæ ſuæ Epitome* diſt. 8.

(103) *La ſucceſſion* chap. CCLV. pag. 583.

(104) *Il Sacro Carmelo Italiano* lib. II. cap. II. §. IV.

(105) Loco cit.

cæ Protonotarium, utque a Mantuano ipſo vocatur (106) *Romulæi Patrem Senatus*, qui Poetæ N. perpetuus Mecænas fuit, & ad quem Mantuanus, Romæ ſcilicet manens (107), ut gratitudinis officia, quo poterat modo, perſolveret, Epigrammata identidem nunc Sapphico, nunc Elegiaco, interdum Epico, nonnunquam Hendecaſyllabo carmine conſcripta mittebat, quæ videre eſt Operum ejus Tomo I. (108). Quinimo & in Falconis honorem IX. Eclogam, quæ eſt de Curiæ Romanæ moribus *Falconem* inſcripſit (109).

CAPUT V.

QUAS PRIMUM OBTINUIT DIGNITATES, QUOSQUE VARIOS SUSCEPIT LABORES.

MIrum hic nemini videatur, ſi vix annum ætatis XXIV. attingenti gravia ſtatim munia demandata ſunt: id enim acutiſſimo illius ingenio, quocum herculeos labores, atque eximium

(106) *Carmine* ad ipſum *Hendecaſyllabo* tomo I. fol. 101.

(107) Id, quoad aliqua ſaltem, ipſe indicat Poeta N. *De patientia* lib. II. cap. XXII. inquiens: « Verum eſt id, quod ad Falconem, quum Romæ eſ» ſem, ſcripſi hoc diſticho:

Plurima virtuti laus hic, at præmia nulla:
Nam Deus illius præmia ſolus habet.

Hæc reperias tom. I. fol. 110.

(108) Fol. 100. -- 118.

(109) Eam Romæ ab Auctore ſcriptam fuiſſe colligi poſſe videtur ex ejus ſcopo, atque contextu. Id ſi verum nutat Lezanæ opinio ſcribentis (*Annal.* tom. IV. ad an 1464. n. 6) Eclogam illam ab Auctore compoſitam anno MCCCCLXIV. quippe is Tyrocinii annus probabiliter fuit, ceu notatum ſuperius, capite hoc ipſo, quod illuſtramus.

mium pietatis ſtudium nullo non tempore adjunxit (110); plane debebatur. Itaque in comitiis Ordinis Generalibus Aſtæ anno M. CCCC. LXXII. coactis, quibus Summi Pontificis Sixti IV. Bulla *Ad Ordinem* (111), Chriſtophorus Martignonus præſedit, Baptiſta Mantuanus in Bononienſi Univerſitate jam Baccalaureus (112) Lector Bononiæ deſignatus eſt (113), & quidem, ni vehementer erro, aut Philoſophiæ (114), aut, quod minus probabile crediderim, Eloquentiæ. Jamvero etſi omnino non dubito, quin ſuſcepti muneris partes quamſedulo expleret, iis tamen ampliſſimi ingenii, vaſtiſſimæque eruditionis Vir haud ita occupari, ac detineri potuit, ut non multum ei ſupereſſet temporis ad alia quoque munia obeunda. Innuit eam rem apertiſſime Doctoris Laurea ab eo ſub hiſce temporibus, anno, inquam, M. CCCC. LXX., die XXIV. Aprilis (115), in celeberri-

mo

(110) « Colla ſua dottrina andò ſempre unita, e congiunta la pietà, ed » eſemplarità de' coſtumi, e quella, che diceſi ſcienza de' Santi; quindi è, » che fu applicato al governo, e regolamento degli altri. » Inquit Ventimiglia *Il Sacro Carmelo Italiano* lib. II. cap. II. §. IV.

(111) Refertur ab Eliſeo Monſignani *Bullarii Carmel.* tom. I. pag. 295.

(112) Uti ſcribit *La ſucceſſion* chap. CCLV. pag. 583. Ludovicus a S. Tereſia.

(113) Lezana *Annal.* tom. IV. an. 1472. nn. 5., & 6. Habes hic & Mantuanorum PP. officia in comitiis non Congregationis, ſed totius Ordinis adſignata.

(114) Colligi id poſſe videtur ex adducendis ſeq. cap. Auctoris verbis *Epiſtola*, hoc fortaſſis tempore, *ad Jacobum Clavarium Urbinatem* ſcripta; tum ex carmine *De ſuſcepto Theologiæ Magiſterio* mox afferendo, quo Theologica ſtudia ſibi, per id temporis, veluti extranea fuiſſe pronuntiat: tandem conjici id etiam poteſt ex verſibus, quos habet Auctor *De morte Petri Nebularii* unius ex Auditoribus ſuis tom. I. fol. 136.

Ipſum ego (ſic enim Superi voluiſtis) alendum
Suſcepi, & docilis Duce me puer, atque Magiſtro
Primitias habuit, linguæque elementa Latinæ.
Me Duce quicquid habet nova diſciplina, vetuſque
Hauſit, & Aonii fundo tenus intima fontis
In vada deſcendens ſe ſe immortalibus undis
Lavit . . . .

Attigerat autem Nebularius, quum Mantuanus Lector Bononiæ creatus eſt, annum ætatis circiter XVIII.

(115) Ita ſcribit Vaghi (lib. *Commentariorum* III. pag. 291.) Unde & illum inter Theologos Bononienſis Collegii, quod, ut id pro re nata moneam, a Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Patriarcha, noſtrique Ordinis decore eximio S. Petro Thoma, ſociis aliquot adhibitis, inſtitutum eſt, recenſet Cherubinus Ghirardacci *Della Iſtoria di Bologna* lib. XXIV. pag. m. 281.

Digitized by Google

mo Theologorum Felſinatum Collegio ſuſcepta, de qua ſic ipſe ad Carphorum Machiavellum Virum magnis opibus illuſtrem tom. opp. I. (116).

. . . . Sacram tentare Minervam
Conſilium fuit, & Divinas volvere chartas.
His didici quis ſit, magno qui præſidet orbi,
Et ſolum, ſummumque bonum, quo ducimur omnes,
Primaque naſcentis vidi primordia mundi,
De nihiloque aliquid factum, nec vera locutos
Phœnices, Perſaſque Magos, Druydaſque ſeveros.
Pocula Tantalei ſemper manantia ſaxi
Hauſimus, & magni calicem potavimus Eſræ.
His ubi me quidam ſatis invigilaſſe putarunt,
Meque iſto ſudaſſe ſatis videre ſub axe,
Conſuluere una patrios non ſpernere mores,
Neve mihi oblatum parvi diadema putarem.
His monitis longa tandem prece victus adhæſi,
Atque ea, quæ Doctos redimunt, inſignia ſumpſi.
Sæpe quidem dixi: non hoc me dignor honore:
Non decet hos humeros tantæ ſupponere moli:
Quoad potui, renui, variaſque opponere cauſas,
Ne fieret, ſtudui: verum ars non profuit ulla.

Tametſi quam eſſet rebus Theologicis attritus, aliorumque animis facultate illa plane Divina inſtituendis idoneus, tum ex refertiſſimis omni ſcientiarum genere ſcriptis ſuis abunde colligas, tum etiam ex inſigniſſimis Theologis, quos habuit ipſe Auditores, Antonio de Averaria (117), Joanne Stephano de Baſſignana (118), Petro Nebulario (119); quam-

(116) Fol. 173. – 175. ubi tamen Machiavelli cognomen ſilet, quod memorat poſtea tom. III. lib. *Sylvarum* III. fol. 294.

(117) De eo Villiers (*Biblioth. Carm.* tom. I. col. 164.) Mazzuchelli &c.

(118) Si Ludovico a S. Tereſia fides *La Succeſſion* chap. CCLIV. pag. 581. Huic Stephano, quum adhuc viveret, Epitaphium inſcripſit, qui eidem præmortuus eſt Mantuanus, quod habes & in ipſa Lugdunenſi Operum ejuſdem Mantuani editione ab ipſo Stephano adornata tom. I. Conferatur Villiers *Bibl. Carm.* tomo II. col. 110., quo loci notat obiiſſe Stephanum anno D. MDXVIII. nil tamen aſſerens de Epitaphii illius Auctore, quem etiam ſilet (*Gli Scrittori d' Italia* vol. II. parte I. pag. 532.) Mazzuchelli, qui idem ſcribit Stephanum a Mantuano Generalem Vicarium in Gallias miſſum; unde & quæ edidit illius Opera Lugduni in Galliis edita ſunt.

(119) De quo nos infra cap. X., ac Villiers *Bibl. Carm.* tomo II. col. 590.

Digitized by Google

quamquam de hiſce hactenus. Quum ergo Mantuanus Doctoralem eſſet Lauream conſecutus, iiſque expeditus implicatarum diſputationum anguſtiis, quibus antea fatigabatur, nec interim, quæ exercebat, Lectoris munia omne ei tempus adimerent, in animum induxit libros aliquot per otium conſcribere (120). Quum autem hæreret adhuc ſoluta ne, an carmine expreſſa oratione uteretur, & quibus demum rebus pertractandis, conſulebat frequens hac ſuper re, priorique illa potiſſimum Joannem Baptiſtam Refrigerium inter Bononienſes eloquentiſſimum (121), a quo id aliquando habuit reſponſi, ut conquiſitis ſedulo in eam rem argumentis uter alteri præſtaret Orator ne, an Poeta quidpiam, data opera, ſcriberet. Morem geſſit Auctor N., ac *De præſidentia Oratoris*, & *Poetæ* carmen deduxit, in quo quid conſilii inierit

ipſe quinimo Poeta N. tomo I. fol. 134. carmine, quo eidem, non ſane, ut habet Lezana (*Annal. Carmelit.* tom. IV. ad an. 1502. n. 6.) anno circiter M. D. VIII., ſed probabiliter uti ſcribit eo loci Villiers circa an. M. D. II. defuncto parentavit. Equidem favere videntur Lezana, quæ, eo in Nebularium Epicedio canebat Mantuanus fol. 136.

Vixque quaterdenos vivendo exceſſerat annos;
Aſt ego, bis ſenis, cui caligantia luſtris
Lumina . . . .

Verum hæc a Poeta N. annorum calculo non nimis attente ſubducto prolata fuiſſe vel Lezana ipſe conceſſerit, quoties illud animadvertat, non potuiſſe Nebularium annos natum vix XL. fatis cedere anno M. D. VIII., niſi anno M. CCCC. LXXIV., vix annum ætatis VII. attigiſſet, quum tamen eo ipſo jam anno fuiſſe ab æmulis quoad Theologicas aliquot aſſertiones utcumque vexatum Lezana quoque tradiderit. Itaque illud ipſe libentius definiam dicta illa a Mantuano, quum annum vix attigiſſet LV., de Nebulario annos jam nato circiter XLV., anno ſcilicet M. D., vel M. D. II., præſertim quum legam apud N. Marianum Ruele dictum alias Gilaſcum Eutelidenſem in erudita ſua Joannis Cinelli continuatione: « Baptiſtæ Mantuani Carmelitæ Theo-
» logi in morte Fr. Petri Nebularii Threnos ad Illuſtriſſimam Eliſambellam
» Mantuæ Marchioniſſam. Brixiæ ad inſtantiam Amudi de Amudis. Idibus
» Martii 1504. » Hæc, inquam, leguntur *Della Biblioteca Volante Scanzia* XXIII. pag. 27. Hiſce Mantuani auditoribus adjungere videtur Joannes Maria Penſa (*Teatro* &c. pag. 86.) virum alium doctrinæ laude, poeticaque facilitate commendatiſſimum, atque eximium Sorbonæ Theologum Vincentium Barſium, de quo Villiers (*Bibl. Carm.* tomo II. pag. 863.), ubi illum vocans Theologum Bononienſem erravit probabiliter, ut merito ſuſpicatur (*Degli Scrittori d' Italia* vol. II. parte I. pag. 425. Nota 4.) cl. Mazzuchelli.

(120) Ludovicus a S. Tereſia cit. Op. *La ſucceſſion* &c. chap. CCLV. pag. 583.

(121) N. Pellegrinus Orlandi *Notizie degli Scrittori Bologneſi* pag. 159.

rit Vir clariſſimus poſtremi ejuſdem carminis verſus apoſtrophen exhibentes, qua ſe Camænis conſecrat, opemque illarum precatur, manifeſto ſuadent, quibus hoſce demum ſubnectit (122).

Hæc Baptiſta tuum ſuper hoc certamine Vatem
Sit ceciniſſe ſatis, Sacræ Myſteria Legis
Dum docet, & parvis ingentia viribus audet.
Plura canam, quando multum quæſita labentur
Otia, quando Deus, quando magis Aſtra favebunt.

Interea, quod modo nobis obſervatum eſt, Auctorem N. muſarum ſtudio ſe devoviſſe, non id ita accipi velim, quaſi nihil exinde amplius ſoluta oratione conſcripſerit: ſuperſunt enim vero plures adhuc illius proſæ, de quibus & nos ſuo loco. Quod porro attinet ſcientiarum genus, cui navare operam deliberandum erat Mantuano, an eæ ſcilicet ſacræ eſſent, an vero profanæ, id, inquam, omni prorſus caruit difficultate, quum Nolani Antiſtitis Paulini ſacra percurrere cæpit, eaque venuſtiſſima Poemata. Quamvis enim ad rerum Eccleſiaſticarum ſtudia nonniſi ægre animum antea adducebat Mantuanus; tanti nihilominus Scriptoris & venuſtate illectus, & pietate commotus rerum Divinarum ſtudiis ardentius cœpit inhiare, ceu ipſe de ſe teſtatur Opp. Tom. I. (123), ſatiſque ex ſcriptis ejus Operibus conſtat, quorum

(122) Tomo I. fol. 168.--173., quibus verſibus illud fortaſſe innuitur, fuiſſe exinde Auctorem N. ad habendas Sacræ Facultatis Lectiones promotum carmen illud ſic exorditur:

Debita cui potior laus eſt, quæ gloria major
Rhetoris, an Vatis, quem præferat Attica Pallas,
Noſtra Refrigerius, quæ ſit ſententia quærit.
Ipſe canam quicquid meus inſpirabit Apollo . . . . .
Quem minus iſta juvant, edat meliora precamur:
Delphica namque mei non ſunt oracula verſus.

(123) » Quum adhuc adoleſcentulus eſſem, & a ſtudiis Eccleſiaſticis, more » illius ætatis, abhorrerem, forte in ea poemata incidi, & carminis ſuavitate » delectatus animum ad res Divinas paulatim appuli, & ex illo tempore ſa» crarum Literarum ſtudioſus fui. » *Apologetico in Maſtigophoros* pag. 13. Eo teſtimonio utitur Ludovicus a S. Tereſia *La ſucceſſion* chap. CCLV. pag. 584., ut evincat Mantuanum eo ſub tempore, quo *De Oratoris*, *& Poetæ præſiden-*

Digitized by Google

quorum pleraque aut ſacra penitus ſunt, aut nonnihil ſacri identidem miſcent, ut merito in alibi jam citata *Vitæ ſuæ Epitome* Multivagam ſcripſerit (124):

Multivagam Chriſto feci ſervire Poeſim,
  Et Superis vires, ingeniumque dedi.
Et mihi cura fuit noſtros extollere ritus,
  Ac ſemper veteres extenuare Deos.

Tum lib. *Agelariorum* I. (125):

Non ego Phœbeus Vates, nec Delphica novi
Limina, nec Tripodas, nec pulverulenta recepi
Ex nigris reſponſa adytis: ſequor ipſe Triformem
Pane litans, vinoque Deum, Cæloque Tonantem
Ad Chriſtum Stygio muſas ab Apolline duco.

Cœpit exinde, quam ſibi potiſſimum excolendam aſſumpſerat, ſacram Poeſim exercere, aliquarumque Virginum digerere faſtos, quos variis libris diſtinctos a Græca voce Παρθένος *Parthenices* appellavit, quia vero, eas inter, Carmeli & Mater, & Decor Maria, ceu inter ſidera reliqua Sol præeminet, atque refulget; hinc tribus libris diſtincta priori Parthenice vitam illius carmine elegantiſſimo eſt modulatus, quam *duorum annorum lucubrationem* (126) Parthenices reliquæ ſubinde exceperunt, quamvis nonniſi multo poſt. Sic Parthenicen ſecundam *Catharinam* libris III., & ipſam digeſtam

---

tia ſcripſit, Divinis quoque rebus animum applicuiſſe; at enim eum Auctoris locum malim ego referre ad Mantuanum multo adhuc juniorem, uti vox illa *Adoleſcentulus* fere cogit.

(124) *Epitome vitæ ſuæ* diſt. 10., & 11.

(125) Tomo Opp. I. fol. 283.

(126) Uti habet Freytag (*Apparatus Lit.* tomo III. notis ad §. VI. pag. 25.), quo etiam loci affirmat abſolutum poema illud die III. Februarii M.CCCC.LXXXI. Revera ſaltem non eſſe ad propiora nobis tempora collocandum exinde effici poſſe videtur, quod factam eo anno illius Parthenices editionem memorat N. Antonius Peregrinus Orlandi (*Origine, e progreſſi della Stampa* parte II. pag. 287.), ac Michael Maittaire (*Annal. Typograph.* tomo I. pag. 429.), qui rurſus (Ibidem pag 496.) editionem appellat a Freytag, loco nuper citato, pariter laudatam, ad cujus calcem hæc leguntur: *Bononiæ edit. III. Id. Febr. MCCCCLXXXI.*

Digitized by Google

geſtam abſolvit, quum denuò Romæ eſſet, quemadmodum ex ipſo aperte (127) colligimus: verum Chronologiæ reſumamus rationem. Duodecim ab abſoluta Mariana illa Parthenice annis, quatuor nimirum, anteaquam ſuos *De patientia* libros conſcriberet (128), alter ex iis Theologis eſt deſignatus, qui Georgium Novarienſem, violatæ Catholicæ fidei cauſa, Bononiæ crematum examinarunt, inque meliorem, ſi licuiſſet, frugem appellare conati ſunt, velut nar-

(127) » Beatiſſimæ Virginis, & Martyris Catharinæ Vitam nuper Romæ; » dum tu apud Innoc. Pont. Max. pro Repub. tua ſplendidum Oratoris mu- » nus obires, heroico carmine complexus ſum. Opuſculum, ut mihi videtur » pium magis, quam elegans . . . . . . Quadraginta enim, & non amplius » diebus opus abſolutum eſt ». *Nuncupatoria II. Parthenices ad Patritium Venetum Juriſconſultiſſimum Bembum* tomo II. fol. 57. -- 58. Idque anno M. CCCC. XCI., uti ſcribit Nuncupatoria ſuorum in hoc Mantuani Poema Commentariorum N. Lucius Belga. Quamquam Villiers (*Bibl. Carm.* tomo I. col. 233.) Parthenices omnes alias ſtatim poſt alias elucubratas cenſuiſſe videtur. Ea ad Bembum Dedicatoria ſcribit Mantuanus de Catharina plane nihil locutum Euſebium, qua in re deceptum fortaſſis Mantuanum, & Catharinam eam eſſe Heroidem, quam lib. VIII. *Dorotheam* appellat Ruffinus obſervat ex Tillemontio, Natali Alexandro, Fleury, aliiſque N. Villiers (*Bibl. Carmel.* tomo I. col. 223.), & rectiſſime quidem; verumtamen omnino illud certum eſt, nihil de illa ab Euſebio dictum, qui, quo loci ad eam ſe referre putatur, nuda hæc, putaque habet verba (*Hiſt. Eccl.* lib. VIII. cap. XIV. pag. 350. editionis Taurin. in ſolio 1746.) Μόνη γὖν τῶν ἄλλων ὑπὸ τε τυράννου μεμοιχευμένων Χριστιανὴ τῶν ὑπ' Ἀλεξανδρείας ἐπισημοτάτη. &c., quam mulierem hic ab Euſebio indicatam *Dorotheam* vocat in latina ſua Euſebii verſione (lib. VIII. cap. XVII.) Ruffinus, quamque eamdem eſſe ac Virginem, Deique Martyrem Catharinam putatum utique nonnullis: ſic Tillemont (*Mémoires pour ſervir à l'Hiſtoire Eccléſiaſtique de ſix premiers ſiecles.* Tom. V. in S. Petro Patriarcha Alexandrino art. V. pag. m. 447.) de S. Catharina ſcribit: » Euſebe ne nomme point cette perſonne ſi illuſtre en toute maniere; mais » Rufin . . . dit, qu'elle ſe nommoit Dorothée . . . » Præiverat Tillemontio Baronius, de quibus tamen ita eruditus e cætu N. Vir Petrus Thomas Cacciari in ſua Euſebianæ Hiſtoriæ in latinum a Ruffino converſæ editione (tomo I. lib. VIII. cap. XVII. pag. 499. nota g.) « Multi hanc exi- » ſtimarunt *Catharinam*, vel, ut Græci ſcribunt, *Hæcatherinam* fuiſſe; ſed » quum nullo antiquo monumento rei fidem faciant, quum etiam Ruffinus » ex primigeniis Euſebii archetypis *Dorotheam* appellet, non eis facile cre- » dendum eſt. » Hæc Cacciari ad Bollandianos inde nos revocans, qui & ipſi Baronii illa opinione diſcedunt, Dorotheamque aliam a Catharina fuiſſe contendunt (tom. I. die VI. Februarii. *Commmentario hiſtorico de S. Dorothea* n. 9. pag. m. 777.); patet adeo an arguendus ſit Mantuanus, qui fortaſſe græca ſolum Euſebii exemplaria verſavit, aut, ſi quid ei ſuper quæſtione illa ſuboluit, nolebat tamen Ruffino abſcedere. Quamquam, ut recte adnotatum viro cl. Theodorico Ruinart (*Acta Martyrum ſincera* pag. m. 277.) « Lis iſta » abſque antiquis monumentis dirimi non poteſt. »

(128) Conſcriptos illos ante an. M. CCCC. LXXVIII. putabat Villiers (*Bibl. Carm.* tom. I. col. 233.), at videſis ſequentem notam.

Digitized by Google

rat Mantuanus ipſe *De patientia* lib. III. (129), quo etiam loci hæc habet: « An neſcis, quod quotidie concionamur » ad populum . . . ? » Quibus ex verbis illud rurſum conficias ſacri Præconis munere ſæpe illum quoque defunctum, in quo ſcilicet exercendo plurimum equidem excelluiſſe debuit, quum Orator eſſet & diſertus, & vehemens id, quod ex ejus indole, ex ejus ſcriptis, ex aperto ſynchroni Auctoris Trithemii, Cuperi quoque, aliorumque teſtimonio (130) clare

(129) » Ego quoad potui ab errore revocare ſum conatus Georgium No- » varienſem illum, quem ante quatuor annos hic Bononiæ, ut meritus erat, » ardere conſpeximus . . . . . . Poſtquam in Doctorum, ac præſtantium vi- » rorum conſeſſu hujus a Notario lecta ſunt dogmata, dicentibus aliis eum » hæreticum, ubi ad me ventum eſt (faciebat enim ordinem dicendi ordo » ſedentium), non hæreticum, ſed quod longe eſt deteſtabilius, reſpondi » apoſtatam . . . . . . Huic noſtræ ſententiæ etſi primum viſi ſunt aliquan- » tiſper quidam adverſari; tandem tamen, ut intellexerunt, omnes aſſenſere. » Paulo poſt ipſe Georgius, ut audirem ipſam beſtiam ſua verba reſonantem, » adductus eſt . . . . Quum igitur alii multa ſcite, apteque, ſed certe, » bonitatem malitia perſocante, inutiliter dixiſſent, ſtatui & ego aliquid præ- » ter ea, quæ adducta, dictaque fuerant, ſubinferre, quo, etſi non illi ad » ſalutem, mihi tamen eſſet utilis ad meritum labor meus: ſic ergo inter » nos certamen initum eſt. » *De patientia* lib. III. cap. XIII. Pergit inde hoc loco, ſuaque e ſecretiori Theologiæ penu deprompta argumenta, ac futiles viri nequam reſponſiones alterna ſerie allegat, ac ſolide refellit. Merito autem Georgium hunc a Mantuano apoſtatam dictum exinde etiam fortaſſe colligas, quod in Judæorum ſecta obſtinatus perhibeatur a Hieronymo de Burſellis (*Annalib. Bononienſibus* apud Muratorium *Rerum Italicarum ſcripp.* tomo XXIII. col. 902.), qui vocat illum *Georgium de Monteferrato*, unde fortaſſis *Novarienſis* agnomine, non patria fuit. Scribit autem idem combuſtum juvenem anno M. CCCC. LXXXI., ex quo & illud aperte ſequeretur abſolutos a Mantuano *De patientia* libros anno circiter M. CCCC. LXXXV., quarto ſcilicet poſt crematum Georgium, ut ipſemet Auctor N., quod nuper audivimus, teſtatus eſt. At vero qui tunc potuiſſet ſcribere eodem lib. III. *De patientia* cap. XXIX. « Agitur nunc a Chriſto annus milleſimus, quadringen- » teſimus, nonageſimus octavus »? An illud aſſerendum a tempore, quo Mantuanus XIII. cit. libri III. caput ſcribebat ad tempus, quo abſolvit caput ejuſdem libri XXIX. annos XI., vel XII. interfluxiſſe? Quidni potius dixerimus cum Freytag (*Apparat. litter.* tom. II. notis ad § XXCII. pag 955.) ambuſtum nefarium hominem anno D. M. CCCC. XCIII., ut inde & illud quoque conficiamus (V. quæ adnectimus infra ad Capreoli epiſtolam) abſolutos *De patientia* libros anno M. CCCC. XCVII.? Tunc vero & aliud hoc eſſet inferendum Mantuanum, inquam, adverſus Chriſtianæ fidei apoſtatam illum XII. circiter a conſcripta Mariana Parthenice annos, quod ſupra ſtatuimus, diſputaſſe. Illud hic tamen adverteris non quinque tantum, vel ſex, ſed & plures adhuc annos conſcribendis *De patientia* libris a Mantuano inſumptos: lib. enim ejuſdem operis I. cap. XXXII. ait de Ludovico Morbiolo: *qui anno præterito functus eſt vita*, anno ſcilicet, ut ex nota 216. liquet, M. CCCC. LXXX.

(130) A N. Cupero ſic ejus inſcripta ſunt opera: « J. Baptiſtæ Mantuani » Carmelitæ Theologi, Philoſophi, Poetæ, & Oratoris clariſſimi » A Trithe-

Digitized by Google

clare ſatis, ac nitide conſtat. Qua in re illud præterea notatum velim Auctorem piiſſimum, virumque optimum (131) divina, qua pollebat, dicendi copia in populi commodum, non e ſacris tantum ſuggeſtis uſum eſſe, verum & privatis quoque conſiliis, paterniſque admonitionibus nemini, qui ejus opera indigeret, non præſto adfuiſſe (132), idque tanta ſeu maturitate judicii, ſeu ingenii dexteritate, ac comitate ſermonis, ut dignum eum habuerit Caſalenſis Antiſtes Agnellus Maffei (133), quem his Sidonii Apollinaris (134) verbis

mio autem dictus eſt: « Orator, & Poeta celeberrimus, ingenio ſubtilis, ſer» mone diſertus. » (*De laudibus Carmel.* lib. II.) Non hic omittenda oratio, quam Auctor N. coram Sum. Pont. Innocentio VIII., ac pluribus R. Eccleſiæ Cardinalibus in Omnium Sanctorum ſolemnitate habuit anno M. CCCC. LXXXVIII., cujuſque poſtmodum exemplar tradidit Bernardo Bembo apud laudatum Summum Pontificem Venetæ Reipublicæ Oratori, qui eam recitanti Mantuano intererat, cuique etiam epiſtolam orationi illi præfixam Auctor N. dedit, ceu conſtat ex *Opuſculo* XI. cod. MS. ſec. XV., quem penes ſe habebat Hieronymus Baruffaldi, a quo & hunc novimus orationis titulum: « F. Baptiſtæ Mantuani » Carmelitæ Theologi oratio habita coram Summo Pontifice Innocentio VIII., » & cœtu Cardinalium in Omnium Sanctorum celebritate anno M. CCCC. » LXXXVIII. » Hæc apud D. Angelum Calogerà (*Raccolta d'Opuſcoli* tomo XXVI. pag. 175.), ex quo hiſtoricum hoc monumentum appellat ſuis ad Fabricium (*Biblioth. mediæ, & infimæ latinitatis* lib. II. pag. 170.) adnotationibus Joannes Dominicus Manſi. Quamvis ibi typothetæ fortaſſis errore ſcribitur recitata a Mantuano oratio illa an. MCCCCLVIII. Varias alias, eaſque elegantes Mantuani orationes penes ſe olim habebat Joannes Balæus (Villiers *Bibl. Carm.* tom. I. col. 232. n. 64.)

(131) Virum, qui bonis moribus non ſit, bonum evadere poſſe Oratorem negat *Oratoriarum Inſtitutionum* lib. II. cap. I. Quintilianus, & verius fortaſſe, quam prima fronte appareat.

(132) Ludovicus a S. Tereſia *La ſucceſſion* &c. chap. CCLV. pag. 584.

(133) *Annali di Mantova* lib. XI. cap. VI. pag. 848.

(134) Lib. VII. epiſt. XIII. ad Sidonium Sulpicium de antiſtite ejus filio Himerio (penes Jacobum Sirmondum *Opp.* tom. I. col. 603. edit. Venet. in folio 1728.) Soleo ipſe commoveri, dum penes Auctorem N. hanc recolo Dominicæ Paſſionis hypotypoſin (*De calamit. temp.* lib. II. fol. 34.)

Hinc Pater Omnipotens animos miſeratus inertes,
Atque imbecilſes ſenſus, & pectora tarda
Immenſum eoo reſeravit ab æthere lumen,
Progeniemque ſuam ſummo demiſit Olympo.
Hæc ſunt illa, quibus Deus inſtaurare caducum
Naturæ labantis opus tentavit, & omni
Conatus ſtudio veteres avertere morbos.
Ut patrias ſordes, crimenque aboleret avitum
Legit inauditum fati genus. Illita ſuſo
Sanguine, & ardenti liventia verbere membra,
Perfoſſumque caput, terebrataque tempora duris
Sentibus erexit miles Romanus in altum

Digitized by Google

bis commendaret : « abundat animi ſale, quum conſulitur; » melle, quum conſulit ». Unde nec mirum ſi certatim ab omnibus quæreretur adjutor ægra potiſſimum valetudine afflictis: nam hiſce præſertim modis, quibus poterat, omnibus ſolabatur, doloreſque lenire, animoſque erigere nullo tempore deſiſtebat, crebriſque collationibus ad mala æquanimiter perferenda exhortabatur, cujus verbis non leve fortaſſis pondus exinde etiam debebat accedere, quod ſuo ipſe præiverat exemplo; etenim odontalgiam, eamque, ut ejus ipſis utar verbis (135) *Et longam, & acerbiſſimam pene uſque ad rabiem* conſtanti hilaritate ſuſtinuerat: ut febres hic ſileam, quibus non ſemel vexatus eſt, aliaſque, quas forti ſemper animo pertulit calamitates his aliquando verſibus ab ipſo commemoratas (136):

Per mare, per fluvios ivi, per ſaxa, per alpes,
  Mortiferam peſtem, bella, famemque tuli,
Sed ſuperi caſus mecum venere per omnes,
  Et mihi ſe fidos exhibuere duces.

Hoc

Aera. Frigentes plantas, projectaque longe
Brachia, & humentes oculos, & pectus apertum,
Concretoſque pio crines, barbamque cruore,
Ingratæ moriens plebi monſtrabat ab alta
Arbore, & ingenti mortem clamore ciebat.
Cujus ad interitum cœpere elementa moveri:
Sol gemuit, nigroque caput velavit amictu,
Contremuit tellus, timuit mare, palluit aer,
Et colliſa gravi ſonuerunt marmora planctu,
Hæc fuit atra dies, & lamentabile tempus,
Quum, ſubito media tenebris in luce ſubortis;
Lumen in horribilem fugit ſine nubibus umbram:
Aurea quum vernus retineret vellera Titan,
Longaque longinquæ contraria ſidera libræ.
Sic eſt parta ſalus homini, longævaque primæ
Cum gemitu, & lacrymis deleta injuria culpæ eſt:
Immemores tanti populus, patreſque laboris. &c.

(135) *De patientia* lib. II. cap. XXX.
(136) *Vitæ ſuæ Epitome* diſt. 17. 18. Imitatur hic Venuſini illud lib. I. epiſt. I.

Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignem.

Hoc igitur, quo ipſe adjutus fuerat, cælitum favore, bonitate, atque clementia miſeris aliis propoſita, eorum quoque erigere ſpem, fractumque laboribus animum exhilarare pro virili parte ſatagebat ſuetus:

. . . . Patriæ impendere curam,
Nec ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo (137).

Eos inter, qui illius opera, atque conſuetudine levabantur, vir fuit rei familiaris amplitudine, eruditionis vaſtitate, probitate morum ſpectatiſſimus Carolus Antonius Fantuccius, obſtinata jam diu podagra decumbens, ad cujus ſolamen tres *De patientia* libros auſpicatus eſt, veluti ex hujus operis lib. I. cap. I. eruitur (138). Quod ſane Mantuani opus non vacat modo pluribus extollere encomiis, quum egregie de eo jam multa nobis reliquerit, ſua ad Joannem Taberium

---

(137) Lucanus *Pharſaliæ* lib. II. ℣. 381. 382. Id, quod erga eos potiſſimum, qui infirmitatibus premerentur, conandum arbitrabatur Vir N. cl. « Sanos » autem ſibi vivere non licet, unoquoque in ſui favorem illud Platonicum » uſurpante: non ſolum nobis nati ſumus, ſed ortus noſtri partem patria, » partem amici ſibi vendicant. » *De patientia* lib. II. cap. XL., quæ eadem Platonis verba meminit lib. *De off.* I. cap. VII. Cicero: extant vero apud Platonem *Epiſt.* IX. *ad Architam*. Sed libeat hic Mantuanum Fantuccio ſuo hæc memorantem audire cit. *De patientia* lib. II. cap. XXVI. « Si etiam, ut ſæpe te » moneo, vitæ Chriſti portiunculam, quaſi quotidianum animæ panem pro- » pinante memoria in cibum ſumpſeris, & cogitationis aſſiduæ faucibus rumi- » naveris, erit ſcaturigo jugis refrigerii, & vitalis quidam liquor, quaſi opo- » balſami die, ac nocte ſtillantis in animam. Habeto ſemper ante oculos Paſ- » ſionis Chriſti proceſſum, & ordinem . . . . . voranda hæc frequenter ad » exornandam mentem catapotia. Habes etiam plures, qui Deum aſſidue pro » te orent, ex quorum numero & nos ſumus, qui ſi, ut optas, non exau- » dimur, memento, quia nec Paulus Apoſtolus vas electionis, quum ſtimu- » lum carnis rogaret a ſe tolli, fuit exauditus, ſed ei dictum eſt: ſufficit tibi » gratia mea; quia virtus in infirmitate perficitur. Legimus in SS. Patrum hi- » ſtoriis &c. »

(138) « Quoniam opportunis, ac frequentibus beneficiis huic noſtro Bono- » nienſi cœnobio magnifice, ac religioſe collatis jampridem tibi nos devin- » xiſti, Carole Antoni vir religioſe, vereor ne, ſi te longo, & gravi po- » dagræ morbo laborantem conſolatus non fuero, de graviſſimæ ingratitudi- » nis vitio poſſim accuſari. » Loco cit. Opp. tom IV.; præmortuus tamen eſt Carolus Antonius; hinc, uti ex Nuncupatoria liquet, filio ejus ſuperſtiti Franciſco Fantuccio opus dicatum.

Digitized by Google

rium (139) epiſtola, quam hic in nota (140) excripſimus, Elias Capreolus. Sed neque illud refugiebat vir præclariſſimus in

rem

(139) Hunc Taberium laudat *Panegyrico* in Brixiam dicto Auctor N. *Rovatenſem* illum nominans. Quæ res obſervata Eminentiſſimo Romanæ Eccleſiæ Principi Angelo Mariæ Quirini (Epiſt. XXXIV., quæ eſt ad Joſephum Antonium Saxium IV. Kal. Auguſti M.DCC.XLV. pag. 222.) « Taberii in Hu-
» manioribus Litteris excellentiam pluribus verſibus celebravit etiam Baptiſta
» Mantuanus doctiſſimus Carmelita in panegyrico de Brixia Joannem Rova-
» tenſem eum vocans, quod Rovato hujus regionis municipio ortum duxiſſet,
» eoſque ita exorditur:

» Ad varias, quibus es paſſim celeberrima dotes
» Vir deerat tibi Socraticam formare juventam
» Doctus, & ad muſas teneram deducere pubem.
» Ecce, velut Pandora polo delapſa, Joannes
» Rovatenſis adeſt . . . .

» Quæ eadem Eminentiſſimi Quirini de Taberio verba appellat Saxius *Man-*
» *tiſſa ad Hiſtoriam Typographico-litterariam Mediolanenſem* pag. 21.

(140) Extat *Opp.* Mantuani tom. III. initio. « Niſi vana eſt Pythagoræ pa-
» lingeneſia Maronem nobis alterum hæc ætas redivivum produxit Baptiſtam
» hunc Mantuanum, qui virtute poetica ſynchronos omnes, ex antiquis etiam
» complures a ſe longe reliquit . . . . . Idem diſciplinarum omnium ſcien-
» tiſſimus vitæ ſeveritate, morumque ſanctimonia univerſæ Religionis Carme-
» litanæ Rector, Patrum decreto, conſtitutus eſt . . . . . . Scis tu quoties
» nos impendentium bellorum tempeſtates conquerentes, qua verborum ſere-
» nitate præſens confirmavit. O magnum amicitiæ Numen! Excogitavit ho-
» mo divinus, quo pacto etiam conſoletur abſentes. Petrus Nevolarius di-
» gniſſimus tali præceptore diſcipulus, inter Carmelitas Theologus conciona-
» tor eloquentia, moribus, doctrinaque admirabilis aureum illius *De patientia*
» libellum ad nos Brixiam nuper attulit omnis moleſtiæ præſentaneum medi-
» camentum, quem quum legimus, hoc Virgilianum fortiter exhibemus:

» . . . . Quo fata trahunt, retrahuntque ſequamur.
» Quicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.
» Virgilius *Æneidos* lib. V. ℣. 711. 712.

» Tu ergo Taberi ſuaviſſime, qui degis in muſarum contubernio, natura,
» & arte ad ea, quæ humanitatem exornant, accommodatior, opus ipſum,
» etiamſi ſub invito forte authore, publico tamen uſui exponendum cures.
» Rem Gaſpari quoque Brunello optatiſſimam, qui ut eſt acri in politicis
» ingenio, graviſſimo conſilio, literatura non mediocri, ita eruditiſſimum
» quemquam fovet, Baptiſtamque in primis, ut Divum favorabiliter obſervat;
» omnium denique amicorum deſiderio, imo ſtudioſis omnibus ſatisfeceris:
» ſpero enim per hoc audebunt ad ingruentis fortunæ nunquam perpetuo bo-
» næ injurias Horatio libenter concinere:

» . . . . Quo circa vivite fortes,
» Fortiaque adverſis opponite pectora rebus.
» Horatius lib. I. ſat. II.

» Vale Brixiæ IV. Nonas Decembris MCCCCXCVIII. » Quo circiter anno opus illud abſolutum eſt, veluti colligas ex Mantuano ipſo lib. III. *De patientia* cap. XXIV. ſcribente: « Agitur nunc a Chriſto annus milleſimus qua-
» dringenteſimus nonageſimus octavus. » Ut habent editiones Antuerpienſis MDLXXVI., ac Pariſienſis MDXIII., a quibus levi diſcrimine diſcrepat Ar-

rem proximi, ejuſque utilitatem amicorum ſuorum opera uti, ac principum virorum opem in aliorum ſolamen, & commodum precari, veluti ſeu ex cognito viri officioſiſſimi inge-

---

gentoratenſis Matthiæ Schurerii MDX., quæ pro *octavus* habet *ſeptimus*, quin id erroris loco habuerit in mendorum indice, in quo tamen exhibendo Schurerii diligentiam laudat Andreas Chevillier (*L'origine de l'Imprimerie de Paris* pag. 164.) Sed & *ſeptimus* habet, quæ certe *octavus* habere non potuit editio Brixienſis *per Bernardinum Miſintam Papienſem III. Cal. Junias anno Theogoniæ MCCCCXCVII.* Editionem hanc, quam præ manibus habemus, appellat etiam N. Peregrinus Orlandi (*Origine, e progreſſi della ſtampa* parte I. pag. 163., & parte II. pag. 287.) Ad cujus calcem hæc extat:

Joannis Taberii Brixiani ad Heliam Capreolum
amicorum optimum
Antigraphia.

Poſtquam plena malis ſubierunt tempora, noſque
  Scyllæis lacerat ſors truculenta vadis,
Nec ſperare ſinit portum temeraria bello,
  Romanum toties Gallia paſſa jugum:
Vincere ſi quiſquam cupit Inſuperabile fatum,
  Naturamque animo ſuppoſuiſſe ſuo,
Et quaſi de cælo mortalia temnere, vimque
  Fortunæ, atque omnem pellere corde metum;
Hæc legat, & ſacri ſervet documenta libelli,
  Quem dedit Ocniacæ fama ſecunda tubæ
Impetrat, ut lætus ſubeas quodcumque neceſſe eſt;
  Parvaque in æternum vertere damna bonum.
Ille etiam noſtri mala temporis, ille Roberti
  Fata Ducis cecinit, parthenice ſque duas,
Et quæ Socraticis certent Epigrammata chartis
  Multiplicem vitiis Impoſitura modum.
Mox dabit Hiſpani carmen ſublime triumphi,
  Pulſaque ab occiduis numina vana locis.
Cinge tuo Andinas Vati pia Mantua lauros,
  Seu pede, Cadmea ſeu notat ille manu . . : : : :
Gloria viventi comes Inviolata, ſepulto
  Atria Cæli colum meta laboris erunt.

Illud hic tamen obſervaſſe liceat, quod haud ſatis miretur lector humaniſſimus, citatos *De patientia* libros fuiſſe a Vaghi (lib. II. pag. 204.) Nebulario ipſi adſcriptos, deceptum autem Vaghi a Clemente M. Felina ſcribente de Petro Nebulario: « Conſcripſit libellum *De patientia*, de quo habet enco» mia Helias Capreolus ». Qua ratione id factum conjicere eſt ex Joanne M. Penſa, qui (*Teatro &c.* in vita Nebularii pag. 77.) perinde & ipſe hallucinatus hæc ait: « Mi pare qui inſerire lo elogio nobiliſſimo di Helia Capreo» lo, il quale ſcrivendo a Gio. Taberio così ſi dice a pro del padre: *Petrus* » *Nevolarius digniſſimus tali præceptore diſcipulus &c.* » Equidem neceſſe eſt Eliam Capreolum Carmelitæ hi noſtri dormitando exſcripſerint. Nullum interea *De patientia* librum Nebulario adjudicat (*Bibl. Carmel.* tom. II. col. 590.) P. Villiers.

ingenio , atque indole , ſeu & ex nonnullis , quæ ſuppetunt ejuſce rei monumentis (141) apertiſſime liquet . Scribebat igitur , docebat , concionabatur vir cl. , quum , eo ſub tempore , lethalis epidemia graſſari , civeſque dire nimium affligere cœpit (142) , qua quum non immune evaſiſſet Carmelitarum cœnobium , vix & ipſum lue populatrice infectum eſt , ut fuit continuo Magiſtratus juſſu præcluſum , Religioſiſque intra ejus ſepta degere coactis externum quodcumque cum civibus aliis commercium interdictum , quos adeo , & domeſtica , qua fratres afflictari cœperant , ægritudine , & annonæ caritate , atque penuria , & aſſiduis , qui non remittebant , imbribus , ob quos & crudior ſpirabat aer , & obſcuriores , ſic dicam , triſtioreſque tranſigebantur dies , fere jam vitæ ipſius pertædebat . Ex hiſce igitur alter fuit Mantuanus , qui ut erat piiſſimus , nihil antiquius habuit , quam , ut ad Carmeli decorem , & matrem ſupplex confugeret , opem illius in præſenti diſcrimine imploraret , eam-

---

(141) Sic habemus , *Sylvarum* libris , carmen , quod ipſe pro Paulo Fulgoſo ad Mediolani Ducem Ludovicum Sfortia digeſſit , aliudque rurſus , quod idem Fulgoſus Maximiliano Cæſari offerret , quodque ſic ex Pauli ejuſdem perſona concluditur:

. . . . Pauli precor , atque parentum
Sis Auguſte memor . Lætos habitare ſub umbra
Cæſaris & nobis liceat . Fulgoſa propago
Nos quoque pars rerum non aſpernanda tuarum :

Habemus & eam in rem Angeli Politiani ad Vatem N. epiſtolam , quam Integram hic ex ejuſdem Politiani operibus (*Epiſtolarum* lib. VIII. epiſt. ult. pag. m, 116.) exſcribo .

» Angelus Politianus Baptiſtæ Mantuano
» Theologo ſuo . S. D.

» Nec dubito , quin amer abs te , nec exigo , quod eſt incommodum . Sed » nec officio literarum metior amicos , quippe , quod & ab inimicis præſtari » ſolet . Gratulatione tua , quod Philoſophiæ ſim deditus ipſe mihi , medius » fidius , ita gratulor , daturus ut operam ſim , quo poſſis in dies magis » merito mihi gratulari . Sed adoleſcens hic tuus , conſilio noſtro ſi fuiſſet » uſus , magis fortaſſe ſuis rationibus conſuluiſſet . Nunc , quoniam conſilio » noluit (ni fruſtra augurium) , credo nec opera jam volet uti . Verumta» men & cupio ſcribas , ut a me expectet omnia , tui quidem cauſa : nihil » enim moleſtius , quam fuiſſe hunc mihi abs te fruſtra commendatum . Vale . »

(142) Muratorius *Annali d' Italia* tom. IX. an. MCCCCLXXVIII.

eamque, ut iram Dei lenire, ac prorſus etiam avertere di-gnaretur, fuſis aſſiduis precibus oraret, atque enixe obteſtaretur, conſcripta etiam in eam rem oratione; in qua ipſe ſic infit (143):

Alma parens noſtris toties pulſata querelis,
Si tibi vox forſan noſtra importuna videtur,
Da veniam, pietas in nos tua tanta periclis
Cognita præteritis in ſpem nos erigit amplam . . . .
Nos ergo in tanto poſitos diſcrimine mater,
Si Cælum influxu nos hoc affligit iniquo,
Aſpice, nos illo, quod ſpem facit omnibus, ore . . . .
Eripe ab interitu populum tua ſigna ſequentem,
Nec ſine fidentes tibi tali occumbere fato.
Si tamen hæc noſtrum ſcelus infortunia fecit,
Et Deus ex meritis in nos hunc fulminat ignem,
Nec venit ex aſtris, tua nil tutela videtur
Imploranda minus, quando tu enixa Tonantem
Es potis illius rancorem extinguere, & iram.

Hiſce Mantuani precibus, huic fidei, atque in Mariam pietati adſcribit Ludovicus a S. Tereſia (144), quod neceſſarii ejus, ac magnifici plane benefactores Ludovicus Fuſcarius, ac Joannes Baptiſta Refrigerius eum cœnobio eduxerint, in ſuas ædes receperint, ac liberaliſſime tractarint, id, quod nequimus aptioribus, quam ipſius Auctoris N. verbis referre (145): « Nuper in cœnobium noſtrum diræ peſtilentiæ immiſſo veneno, toti urbi cœperamus eſſe timori: » pellebamur non a colloquio tantum, verum & a conſpe» ctu hominum, & ab omni humano commercio, tam» quam baſiliſci, qui ſolo viſu noxii dicuntur, longe pro» hibebamur. Attoniti eramus, lababant genua, nutabant » animi, domi mors imperabat, foris brumale frigus, quo» tidie pluviæ, annonæ caritas, & publica fames, bellorum » ſtre-

(143) Tomo II. fol. 55. -- 57.
(144) *La ſucceſſion* chap CCLV. pag. 585.
(145) Tom. II. initio epiſtolæ, qua primam eis dicavit Parthenicen,

» ſtrepitus, hominum ſaluti ſuæ conſulentium ſevera custo-
» dia aqua, & igni interdicti videbamur. Undique timor,
» undique calamitatum confertiſſima acies adventare nuntia-
» batur. Interclusi eramus, nec ulla videbatur evadendi
» via, & erat

Una ſalus miſeris nullam ſperare ſalutem
Virgil. *Æneidos* II. 354.

» Tu cum Refrigerio noſtro (credo a Deo miſſus), in
» atra denſiſſimæ noctis caligine cæcutienti mihi, tamquam
» cum aurora matutinus Lucifer diem aperuiſti, ſpem vitæ
» confirmaſti, xenia miſiſti, in amplas, ac magnificas ædes
» tuas hoſpitio me ſuſcepiſti, lautiſſime, & elegantiſſime
» paviſti . . . . . » Manſit autem apud Fuſcarium, quoad commodam nacti ſunt occaſionem, villam adeundi, cujus ipſe, quum primum licuit, chorographiam in grati animi teſtimonium, eodem loco, digeſſit poemate *Villa Refrigerii* (146) inſcripto, quod tribus hiſce claudit verſibus:

Hæc ego, dum diræ fugiens contagia peſtis,
More hominum, ruri tecum moror, ociamoque
Dum fruimur, luſi. Noſtrum hoc breve munus habeto.

Hæc pariter ea villa eſt, in qua *De contemnenda morte* elegiam eſt modulatus Jaſoni Caſtelli Bononiæ Patritio dicatam, inquit Ludovicus a S. Tereſia (147); quamvis, ut idem adnotat (148), quum eam poſtea & auxerit, & locis pluribus correxerit, abſque nuncupatoria evulgavit continuæ adinſtar apoſtrophes, qua animam ſuam alloquitur, ac ſolatur. Cæterum, quum villa exceſſit, non quoque una opera beneficiorum oblitus eſt; quinimo illorum nunquam immemor grati in Refrigerium animi ſenſus identidem teſtabatur, veluti quum ad eundem Refrigerium (149) carmen

(146) Opp. tom. III. fol. 233. -- 238.
(147) *La ſucceſſion &c.* chap. CCLV. pag. 585.
(148) *La ſucceſſion* Ibidem.
(149) Tomo I. fol. 124 - 134.

Digitized by Google

men ſuper mortem amici Collæ Aſculani ab eodem Refrigerio id antea rogatus (150) miſit, aut quum ad eundem ſcripſit *De adventu Joannis Bapt. Sabelli Bononiæ Legati*, Sylvarum lib. II. (151)

CAPUT VI.

GRAVIORA, QUÆ OBIVIT MUNIA. ALIÆ, QUAS POTISSIMUM COLUIT, AMICITIÆ.

ANNO vertente M.CCCC.LXXVIII., quo erepto e vivis Mantuæ Marchioni Ludovico III. Fridericus I. ſucceſſit (152), aut non multo poſt patrios reviſit lares Poeta N., uti conjectat (153) Ludovicus a S. Tereſia, ubi, quum virtus latere diu haud ſoleat, haud quoque magno temporis ſpatio Mantuani pietas, modeſtia, ſapientia Friderico III. ignota fuit: quinimo, virtutum ejus fama in dies percrebreſcente,

(150) Liquet ex quarto ejuſdem hujus carminis verſu:

Extinctum noſtra dici teſtudine Collam
Poſcis . . . .

(151) Tomo III. fol. 275. – 276.

(152) *Diarium Parmenſe* apud Muratorium *Rerum Italicarum Scripp.* tom. XXII. Hubner &c.

(153) *La ſucceſſion* chap. CCLVI. pag. 585. Sane haud poſſe ultra hæc tempora Mantuani in patriam reditum collocari exinde efficias, quod anno D. M. CCCC. LXXIX. M. CCCC. LXXX. Mantuæ Carmelum Prior rexerit, ceu tradit Carolus Vaghi (*Commentariorum* lib. III. pag. 199.). Quamquam illud rurſus dicendum eſt Poetam N. Bononiam iterum ad tempus aliquod remeaſſe: libro enim *Sylvarum* VII. poſt carmen ad Joannem Sabbadinum folio xxxviii. Bononienſis edit. in fol. an. M. D. II. hæc leguntur:

FINIS BONONIAE DIE SECUNDA
FEBRUARII MCCCCLXXXV.

te, magni adeo illum æſtimare cæpit, ut eum filiorum ſuorum Joannis Franciſci, qui ejus defuncti loco regnavit, Sigiſmundi, qui Vaticana purpura exinde eſt (154) decoratus, atque Iſabellæ Guidoni Ubaldo Duci Urbinati nuptui olim traditæ directorem appellarit, ac ſpiritualem adminiſtrum, quo munere quam ſancte functus ſit Vir N. cl., quamque ſuavi methodo concreditos ſibi adoleſcentes ad omne virtutum genus finxerit, atque ad premenda majorum veſtigia ſedulus pædotriba incitarit, vel unum id abunde ſuadeat, quod magna ſemper liberalitate, ſummis honoribus, miraque benevolentia Auctorem N. ii ſubinde ſint proſecuti, veluti non obſcure ex infra dicendis patebit. Quum autem anno M. CCCC. LXXXIV. exceſſiſſet e vivis laudatus Marchio Fridericus filium Franciſcum habuit ſucceſſorem, cujus regimen graviſſimis aliquando infortuniis vexatum eſt, atque afflictum, ut puta anno M. CCCC. XCV., ac M. D. IX. Priori illo adverſo Marte pugnavit ad Forumnovum non longe a Parma civitate diſtans, quum duceret ipſe exercitum, quem Italiæ Principes Carolo VIII. Galliarum Regi, ne Parthenope in Gallias trajiceret, oppoſuerant. Anno vero M. D. IX., quum ſub Ludovico XII. adverſus Venetos incederet, ab hoſtibus captus eſt. Principis igitur gravibus hiſce afflicti ærumnis, totque calamitatibus vexati adverſos caſus levare conatus eſt Mantuanus duplici ad eum dato carmine: altero, quod in libros V. tribuitur, inſcribiturque (155) *Trophæum Gonzagæ* ob pulſos Italiæ finibus Gallos: altero *Fortuna Franciſci Gonzagæ* (156) prænotato, quo Gonzagam Principem monet Deum reſpiciendum, qui hominum temperet vices, ac rebus eorum omnibus mediate ſaltem moderetur, cui prompto ſemper animo obtemperandum ſit, cujus decreta ultro ſemper, libenterque excipienda: Sunt, inquit ibidem:

Sunt

---

(154) A Julio II. die I. Decembris M. D. V. Sic inter alios Antonius Pagi *Breviario geſtorum Pontificum Romanorum* tomo V. in Julio II. §. XV. an. 1505. pag. m. 396.

(155) Tomo III. fol. 101. — 187.

(156) Ibi fol. 187. — 193.

Sunt, qui ſidereis tribuant hæc omnia fatis;
Aſt ego fortunæ; ſeu ſit Deus ipſe, vel altra
Eſt virtus, homini cuivis incognita, quædam
Inferior, ſubjecta Deo, cui ceſſerit ipſe
Tale miniſterium, tantique negotia Regni.
Quicquid agit juſte fieri concedere fas eſt.

In *Trophæo* autem ſolatur illum, ni ei potius gratulatur, quod Gallos, ut ajebam, deviciſſet, quemadmodum vel ex ipſo prioris libri initio facile conſtat: ſic enim illum exorditur:

Aggrediens magno bellum memorabile cantu,
Quo longe Italiam primo Franciſcus ab ævo
Expulit ingenti fortem molimine Gallum,
Cogor ad æthereos ignes attollere longo
Calle fatigandam duro ſub pondere mentem.

Jodocus Badius Aſcenſius, cui, ut natione Gallo, ea minus arridere poterant, quæ gentis ejus dedecori utcumque verterent, aut gloriam vel leviter minuiſſent, vehementius carpit Mantuanum, quod victoriam Gallis tribuendam præpoſtero in patriam affectu Italis adjudicarit, allatoque (157) Raphaelis Volaterrani, Marcique Antonii Sabellici teſtimonio conatur oſtendere, incerto ſaltem Marte ad Tarrum fluvium eſſe præliatum: hoc tamen, quod immerito hic, injuriaque a Mantuano factum arbitratus eſt Badius, ac eum ſecutus Gallus & ipſe Villiers (158), id neque ita incongrue, neque prorſus immerito factum credat judex in

(157) Prænotatione *Ad Trophæum Gonzagæ* fol. 99., & 100., quo etiam loci hæc inter alia: « Demus itaque Poetæ hanc veniam, ut amore patriæ, & » Principis ad ſuos victoriam retorqueat; dummodo ipſe nobis ignoverit, ſi » a Principe noſtro ſtamus, & juſtam ad nos victoriam trahimus: nam & » Thucydides memorat in Græcia interdum ex uno prælio utrinque ſuſpenſa » trophæa ».

(158) *Biblioth. Carmel.* tom. I. col. 225.

Digitized by Google

in hiſce rebus maxime audiendus Henricus de Cocceji (159), cui non prorſus adverſatur vir & ipſe in hoc rerum genere haud plane ſpernendus (160) Muratorius, quorum teſtimonio Poetam N. veluti excuſari, præſertim ſi & circumſtantiæ, quibus ea protulit, attendantur, facile quiſquam intelligat, tametſi non illud inficiamur eum, quod & Badius, & Villiers (161) queruntur, nimio æſtu in Gallos abreptum: at enim dandum id viro, qui, quod eruditorum eſſe ſolet, placida quietis ſilentia, ſtudendique otium effli-ctim deperibat, ac turbulentos bellorum ſtrepitus altiſſime deteſtabatur (162). Cæterum quid, quæſo, Badius, quid Villiers

---

(159) » Quum Carolus Galliæ Rex ex Italia rediret, eique ſe Gonzaga » Mantuæ Dux opponeret, ancipiti prælio diſceſſum: Gallus enim iter ſibi » aperuit, Dux vero impedimenta cœpit; uterque igitur victoriam ſibi aſſe- » ruit. »

Ad Hugonis Grotii *De jure belli, & pacis* lib. III. cap. XX. §. XLV. tomo IV. pag. 373. ed. Lauſannæ in 4. MDCCLIX.

(160) *Annali d' Italia* tom. IX. an. M. CCCC. XCV. Hinc « Reſta ancor » oggi fra Scrittori in dubbio, ſe foſſero rimaſi piuttoſto vincitori i Fran- » zeſi, che, malgrado dell' oppoſizione, finalmente paſſarono, o i Veneziani, » che ſaccheggiarono il campo, e le bagaglie di Carlo. » inquit Petrus Giannone (*Iſtoria civile del Regno di Napoli* tomo III. lib. XXIX. cap. II.) Quamquam non perinde cunctantur Galli Hiſtorici, ubi eo ventum eſt, ut ſuum de illius prælii exitu judicium ferant: victoriam enim Regi Carolo tuto ipſi adjudicant, veluti Godefroy (*Hiſtoire de Charles VIII.* edit. Pariſ. in fol. M. DC. LXXXIV. pagg. 104. 105. 116. 164. 165.), & ante ipſum Philippus De-Comines *Mémoires* liv. VIII. chap. VI.

(161) Locis nuper citatis.

(162) Unde & illa ejus ad Oliverium Caraffa verba, carmine *Pro pacata Italia poſt bellum Ferrarienſe* lib. III. *Sylvarum* fol. 291.

Munera qui norint, & ſanctæ commoda pacis
  Sæva velint ſtygio bella ſepulta lacu.
Triſte quid eſt aliud bellum, quam miſſa per omnes
  Publica tempeſtas, diluviumque domos? . . . . . :
Secula pax renovat, pax aurea ſecula portat,
  Et mores priſcæ ſimplicitatis habet.
Ingenuæ redeunt artes, Academica florent
  Otia, Caſtaliæ ſollicitantur aquæ.

Cæterum, quum per otium licuit, hiſce belli tumultibus non amplius adeo commotus ingenue cecinit: *Exhortatione ad Inſubres*, ut ſe ultro Gallis ſubderent, ſcripta, tomo I. fol. 272.

. . . . Non Gallica gens eſt
Accuſanda, genus non eſt crudele vocandum.

Rurſumque *Dionyſii* lib. II. tom. II. fol. 185. de Gallis: Proni, inquit:

Villiers reponant, ſi Gallum ipſum Graveſon Mantuano accinere intellexerint (163)? Verum & iſta nunc dimittamus, quamque Sigiſmundo Gonzagæ laudati Marchionis fratri impendit curam Mantuanus ab eo in ſpiritus directorem adſcitus (164) paucis quoque attingamus; dignus enim, qui & eo nomine commendetur plurimum Vir N. cl., cui nihil fuit antiquius, quam hunc pariter concreditum ſibi adoleſcentem ad altioris pietatis culmen allicere, invitare, inſtruere, quem etiam adverſus vanas fluxarum voluptatum illecebras ſcripta ad id *contra amorem* (165) elegia, quam & ipſi nuncupavit, præmunire conabatur: Conſuluit pietas, inquit:

Conſuluit pietas, ut te Siſmunde monerem,
  Communem juvenum ne ſequerere viam:
Omnis enim tenera puer ut lanugine vernat,
  Perdere in inſano tempus amore ſolet;
Quo caveas igitur ſcelus hoc, animique venenum,
  Quid ſit amor paucis inſtituare modis.

Qui-

. . . . Proni
Ante dapes ad ſacra Deum, ſervire, jugumque
Ferre negant, fugiunt figmenta, & hypocbriſin ore
Liberi, ut ingenuis mos eſt . . . . . .

Quæ adeo placuere Senatus ad Aquas Sextias Præſidi Bartholomæo Caſſanæo, ut (*Catalogo gloriæ mundi* parte XII. conſideratione XVII.) ſcripſerit: » Baptiſta Mantuanus (qui, ut Italus nobis favere non conſuevit) teſtimo» nium de Gallis, & Gallia tulit in lib. II. *De S. Dionyſio*, ubi terram ipſam, » mores, virtutes populi collaudat in hunc modum . . . . .

» Gallia terreni pars eſt non infida mundi &c. »

(163) » Hic fuit exitus illius expeditionis Italicæ, in qua, ut candide fa» tear, bellica Gallorum virtus, quam prudentia magis emicuit; tanta ſiqui» dem incuria Galli oblectationibus, ac ludis dediti hoc adminiſtrabant Regnum, » ut ad id diſſipandum, non occupandum veniſſe viderentur. » Hæc poſt narratam ad Forum-novum pugnam, Gallorumque in regionem ſuam reditum Pater De-Graveſon (*Hiſt. Eccleſ.* ſec. Eccleſiæ XV. colloquio I.), quo in teſtimonio verba illa attendas velim: « Bellica Gallorum virtus, quam pruden» tia magis emicuit. » Quæ eadem ad literam protulit alias Gallicarum rerum multum, ſin & forte nimium ſtudioſus Natalis Alexander (*Hiſt. Eccleſ.* ſec. XV., & XVI. cap. XI. art. IV. §. IV.), quorum auctoritati novum ea pondus adjiciunt, quæ de infecta eo tempore a Gallis *gallico*, ut vocant, *morbo* Italia ſcribit (*Annal.* tom. IX. ad annum M. CCCC. XCV.) Muratorius.

(164) Ludovicus a S. Tereſia *La ſucceſſion &c.* chap. CCLVI. pag. 585.

(165) Tom. I. fol. 175. — 178.

Quibus adeo liquet, hæc ad eum ſcripta fuiſſe, ut ſe illæſum, atque intaminatum ſervaret, non, ut in deſertæ virtutis callem reduceretur, quam rem is forte poſſet ſuſpicari, qui obſervet aliud rurſus carmen *contra Poetas impudice loquentes* (166) ejus intuitu concinnatum, illique traditum, ſi tamen Ludovico a S. Tereſia (167) fides. Utcunque fuerit, eſt huc referri dignus, quem Poeta N. eo loci perſtringit, rerum, quæ impudica Venere dimiſſa, carmine eſſent celebrandæ, breviſſimus cenſus: Eſt Deus, inquit (168):

Eſt Deus, & Trinum ſemper laudabile Numen,
  Unde trahunt rerum ſemina prima genus.
Spirituum ſoboles, cælique decemplicis aſtra,
  Aſtrorumque vices, multiplicesque viæ.
Sunt animæ Divum . . . .
  . . . . Sunt tartara nigra, lacuſque
  Sulphurei, & nigri Regna profunda Jovis . . . .
Sunt ea, quæ profert aer, quæ parturit æther,
  Quæ generat pingui dædala terra ſinu.
Multicolor facies agri, ſylvæque comantes,
  Multiſonæ volucres, multivagæque feræ.
Sunt Sophiæ partes, eſt ingenioſa Matheſis,
  Verbaque clamoſi litigioſa fori . . . . . .
Jugera multiferæ tibi ſint telluris, & horti,
  Navigium, merces, velivolumque mare.
Sunt tibi pampineo veſtiti palmite colles,
  Sunt juga, ſunt valles, multicomumque nemus.
Arva, lacus, urbes, caſtella, ſuburbia, villæ,
  Sunt cava, ſunt tenui flumina preſſa vado.
Elige de multis aliquid, tibi copia rerum
  Maxima materiam carminis iſta feret.

Nata

(166) Tomo I. fol. 97.—59.

(167) » L'ayant vu porté à lire les Poëtes, ſans diſcernement de ceux, » qui traitent de l'amour déshonête, il écrivit un poëme contre ces eſprits » profanes, qui écrivent en leurs vers les impudicités de la gentilité. » *La ſucceſſion* chap. CCLVI. pag. 585.

(168) Cit. fol. 99.

Nata freto Venus eſt, Veneremque ſub æquora mitte;
Infima qua nigris pallet abyſſus aquis.
Id cane, quod tetrici poſſint audire Catones,
Quod probet Hippolyti, Penelopeſque pudor.
Tunc ego te Vatis dignum cognomine dicam,
Tunc tua cantari digna Poeſis erit.
Tunc Helicona bibes, caſtiſque rigabere lymphis,
Si Venus in verſu non erit ulla tuo.

Id, quod Poetam N. non docuiſſe modo, ſed & nullo non tempore cuſtodiſſe, ab eoque inter ſcribendum ſumma cautum fuiſſe religione ex ejus operibus manifeſtiſſime liquet, unde & ipſum de ſe jam olim canentem audivimus (169):

Multivagam Chriſto feci ſervire Poeſim,
Et Superis vires, ingeniumque dedi (170).

Quæ omnia, ſi, ut par erat, Franciſcus Xaverius Quadrio attendiſſet, non eo proceſſiſſet impudentiæ, ut Auctorem hunc N. honeſtatis, pudoriſque omnino neſcium pronuntiaret (171); quinimo jure illud de Vate hoc N. a Hyacintho de Graveſon (172) litteris commendatum agnoviſſet:

G » Fuit

(169) Superiori cap. V.
(170) Huc reſpiciunt illa Petri Lucii, *Carmine ſuis ad ſecundam Mantuani Parthenicen commentariis præfixo*, ubi de N. Poeta ſcribit:

Plectra, chelym, nervos, ſimul omnia Apollinis arma,
Multivagamque Deo juſſit ſervire poeſim.

(171) En illius de Mantuano verba: « Queſto ſcrittore biſogna, che poca » notizia aveſſe di quel, che è convenevolezza, e decoro. » *Della ſtoria, e della ragion d'ogni poeſia* vol. II. lib. I. diſt. II. cap. VIII. particella I. pag. m 603. Ad Mantuani eclogas præſertim ſe referebat, quum hæc ſciſceret Quadrio, at quam immerito! Quin & eæ omnes Taurini olim in fabrica Mart. Cravatii, & Soc. anno M D.XXXV. in 4. hoc titulo prodiere: « De » honeſto amore eclogæ X. cum Elegia contra amorem, » ut teſtis eſt locupletiſſimus Samuel Engel *Bibliotheca ſelectiſſima* lit. M. pag. m. 95.
(172) *Hiſt. Eccl.* ſec. XVI. colloq. V., qui nimirum ſuum hoc de Mantuano judicium ex Henrico Wharton exſcripſiſſe videtur dicente de Vate N. cl. « Poeticam venam rebus laſcivis, aut profanis impendere piaculum duxit. » (*Appendice ad Hiſtoriam literariam Gulielmi Cave*, in *Sæculo reformato* pag. m.

Digitized by Google

» Fuit eximius Theologus, & Poeta optimus, adeoque ca- » ſtus, ut poeticam venam rebus laſcivis, aut profanis im- » pendere piaculum duxerit. » At vero ut, unde huc noſtra evaſit oratio, illo nunc redeamus Poeta N. Cardinali (173) Sigiſmundo, qui jam tum Apoſtolici Protonotarii munere fungebatur, caſtigata aliquot poemata conceſſurus plura, quæ ipſe olim digeſſerat, ſimul una collegit (174) facto eis, Papinii Statii imitatione, *Sylvarum* titulo, idque

156.), quæ tamen Whartoni verba commode exponenda ſunt; neque enim niſi rectiſſime illud eſt a Miræo (*Auctario de Scripp. Eccl.* §. D. XXXIII. pag. 98. edit. Hamburgenſis in fol. M. DCC. XIIX.) de Mantuano N. ſcriptum: » Poemata ejus varia partim ſacra, partim profana Bononiæ, Pariſiis, Fran- » cofurti, Antuerpiæ, & alibi identidem fuerunt excuſa; » quin hinc detrimenti quidpiam apud cordatos viros paſſa ſit Vatis N. modeſtia, qui rurſus alter & ipſe eſt ex iis, quos Joannes de Torres ſcriptor e Soc. J. eruditiſſimus appellat, quo probet: « como la deſtemplança del vicio carnal cautiva el co- » raçon, donde reyna, que es otros nuevo dano de la torpeza, » qui demum eſt titulus libri XVI. operis, quod inſcripſit: *Philoſophia moral de Principes*, cujus libri adiſis capp. I., & III., ſed & Mantuanus conferatur tomo III. lib. *Sylvarum* IV. pro Mario Oliverano a fol. 297. ad uſque 299., lib. etiam *De vita beata* tomo IV. a fol. 186. ad 201.; ea etiam huc referas, quæ habet Auctor *Epiſtola ad Franciſcum Picum Mirandulanum*, quam reperias inter ejuſdem Pici epiſtolas (lib. IV. edit. Baſil. in fol. anno M. D. LXXIII. pag. 1360.), ubi hæc inter alia: « Ego enim poema verum, & quod omne » punctum ferre poſſit non puto, niſi ſit grave, caſtum, ac ſanctum. » Quidni ergo jure illum, meritoque appellarit Æquicola « Theologico poeta ſancto, » di ſancte muſe cultore. » *De li commentarii Mantuani* lib. IV.

(173) Ut dictum ſexti hujuſce capitis initio.

(174) Non omnia tamen, quæ quatuor hiſce *Sylvarum* libris cenſentur, fuere olim ſic ab Auctore in unum congeſta. Habeo enimvero apud me aliquot operum Mantuani collectionem in 4. paulo vetuſtiorem typis excuſam, at nullo appoſito urbis Typographi, anni, vel editoris indicio, ad cujus calcem nonnulla extant ejuſdem Auctoris poemata hoc titulo: *Fratris Baptiſtæ Mantuani Carmelitæ Sylvarum libri duo ad Antonium, & Jafredum Jafredi Caroli Delphinatus Præſidis optimæ ſpei filios*. Ibi nihil reperias eorum, quæ Antuerpienſis editio habet duobus prioribus *Sylvarum* libris, & alia contra, quæ Antuerpienſis editio illa extra *Sylvas* exhibet, veluti *De quercu Julia*. *In morte Friderici fratris*. *In morte Nebularii &c.*, nec interim omnia continet, quæ extant modo ultimis duobus *Sylvarum* libris. Sic deeſt Stephani laudatum olim epitaphium, atque ut alia ſatis multa prætercam, elegia a N. Auctore Philippo Beroaldo Bononiam redeunti dicata, quam etiam appellat eruditus Mazzuchelli (*Gli Scrittori d' Italia* vol. II. parte II. pag. 1005.) Sed & Lugdunenſis editio carmina quædam continet ſub eo titulo *Epigrammata varia*, quæ modo in *Sylvarum* libros relata conſpiciuntur, veluti illa: *De ſanctitate jejunii quadrageſimalis*. *De morte Nicolai Corregii ad Herculem Cantelmum &c.* In edit. Bononienſi Benedicti Hectoris M. D. II. in fol., quam ceu anni M. D. I. citat (*Jugement des Sçavans* tom. IV. n. 1247 pag. m. 328.) Hadrianus Baillet, *Sylvarum* libri non duo occurrunt, non quatuor, ſed VIII. a folio XXVII. ad

Digitized by Google

idque poſteaquam diuturnæ febris incommoda, quæ Sigiſmundus ipſe levare plurimum fategerat, ſuſtinuiſſet. Huic igitur Eminentiſſimo Principi collectionem hanc ſuam nuncupavit, ex qua, quæ facere huc videntur, expromimus (175).

. . . . : Siſmunde, tuis quæ digna referre
Dona queam meritis, qui me jam tempore longo
Febre laborantem, ſtygioque ardore peruſtum,
Devotumque neci rurſum vitalibus auris
Reddis, & extincto renovas præcordia morbo,
Neſcio, & ambiguis titubat ſententia curis.
Non ſunt regna mihi, non eſt opulentia rerum,
Non etiam poma Alcinoi, non tanta ſupellex,
Quanta fuit Codro, ſunt ſpiritualia quædam
Prædia, ſunt, fateor, (ſic appellare vetuſtas
Inſtituit Vatum ſubitaria carmina) *Sylvæ*
In campis, ubi produxit pede Pegaſus undam:
Has tibi, quo poſſis rapido divertere ab æſtu
Curarum, & Regni magnis anfractibus olim
Solus, & herboſa paulum requieſcere in umbra,
Tradimus. Exigui cape dona infirma Poetæ.

Tum inde, poſt pauca interjecta, muneris, quod apud ipſum aliquando obierat, ſpiritualis, inquam, monitoris, ac patris memor, ſic eum piiſſima hac alloquitur parænesi.

Sæpe ergo in *Sylvas*, & in otia ſancta receptus
Effuge curarum fluctus, & concipe tota
Mente Deum, pacato animo complectere Olympum,
Contemplare polos, & duc in ſidera ſenſus,

 Nec

CXVI., in quorum VIII. folio CIII. habetur (nam reliqua mitto) carmen *De præſidenti Oratoris, & Poetæ*. Ex quibus omnibus illud nempe efficias, quod longioris hujuſce adnotationis initio aſſumebam, *Sylvarum* libros non eſſe a Mantuano eo, quo nunc ſunt, modo collectos, atque ordinatos. Quod ſemel advertiſſe non inutile fuerit aliquot chronologicis difficultatibus, quæ ſuper nonnulla inibi comprehenſa poemata excitari poſſe videantur, facile enucleandis.

(175) Tomo opp. III. fol. 243.

Nec ſemper te terra premat, quo ſcandere mentem
Exutam membris olim mortalibus optas,
Affectu memori anteveni, cælumque require
In *Sylvis*, Siſmunde, meis, non Pana Lupercum,
Non Satyros, Veneremque leges, non Mænades ullas,
Non Thyaſos, hic nullus amans ſua ſomnia luget,
Nulla canit Siren, Circe mala pocula nulla . . .
Porrigit, eſt omnis (libuit quocumque vagari)
Tuta via, & paſſim virtus, & honeſta voluptas.

Dicendum nunc ſupereſſet de Marchionum ſæpe nobis laudatorum ſorore Marchioniſſa Iſabella, quam Mantuani curæ pariter commendatam dictum ſuperius (176). At vero id de matrona hac mulierum, quæ ſeculo XVI. floruerunt, ut ait Petrus Bayle (177), maxime illuſtri adnotaſſe ſufficiat, ei a Poeta N. dicatas fuiſſe III. IV. V. *Parthenices* (178), cujus poſtmodum Fratriæ Eliſabethæ Herculis I. Ferrariæ Ducis filiæ (179), ac Franciſci II. Mantuæ Marchionis uxori carmina alia quædam (180) inſcripſit. Jam vero non uni iſti e Gonzaga domo fuere, quibus familiariter uteretur Mantuanus: alium reperimus Ludovicum nomine, ſeu is laudatorum hactenus Principum frater fuerit, ſeu nepos, aut conſobrinus (181), a quo rogatus Auctor N.,

(176) Sexti hujuſce capitis initio.

(177) « Mérite d'être comptée parmi les Dames les plus illuſtres. » Diction. art. *Gonzague* (*Iſabelle de*)

(178) Vitas ſcilicet DD. Margaritæ, Agathæ, ac Luciæ. Tom. opp. II. foll. 102. -- 114. 115. -- 121. 122. -- 128.

(179) Muratori *Annali d' Italia* tomo IX. ad an. M. CCCC. XC.

(180) Hanc *Eliſabellam* Mantuanus appellat tribus hiſce, quæ illi ſacravit, carminibus: *De Cupidine marmoreo dormiente* (tomo I. ſub finem) *De morte, & dedicatione poematum Nicolai Corregii* (lib. *Sylvarum* IV. tom. III. foll. 309. 310.), ac *Parthenice* VII.

(181) » Je trouve un nommé Louis de Gonzague Protonotaire Apoſtolique » avoir été ami de notre Mantouan. Je ne ſçai, s'il a été frere, neveu, ou » couſin germain de fusdits. » Inquit Ludovicus a S. Thereſia (*La ſucceſſion* chap. CCLVI. pag. 586.) Ipſe tamen facile adducar, ut hunc, de quo Mantuanus ſcribit, Ludovicum Gonzaga eum fuiſſe credam, quem in Gonzagarum ſtemmate inter Ludovici III. Mantuæ Marchionis filios appellat gallica Hubneri editio *Les généalogies hiſtoriques &c.* (tom. II. chap. IX. table I.) Antonius Chiuſole (*Genealogia delle caſe più illuſtri di tutto il mondo* tav. CC. LXXXVII. pag. m. 578.) &c., quemque an. M. CCCC. LXXXIII. VI. Kal.

Digitized by Google

N., ut Gonzagiæ ſtirpis encomia diceret, coactus eſt, ob graviora, quibus diſtinebatur, negotia, reſpondere, ut eum pro tunc excuſatum haberet, veluti conſtat ex carmine, quod ad eundem Ludovicum (182) ex tempore cecinit.

Sæpius ad ſacrum cupiens Helicona reverti,
Munus ut excellens, & tanto Principe dignum
Caſtalio de fonte darem, mea carbaſa ventis
Explicui, & ſcalmos accincto remige preſſi:
Verum me variis animi languoribus ægrum
In diverſa ferunt, a Phocide littora fluctus.
Pellor ab Europa, lego puppe Propontida verſa,
Et feror in Phrygiam, Tenedi jam littora cerno,
Jam patet Antanarus, jam culmina cernimus Idæ,
Aonides ſylvæ nobis, & ſancta negantur
Flumina, Dircæi taciturna ſilentia ſaltus
Occluſere novem, prohibentque accedere Nymphæ.
Immiſere rati zephyros, prohibemur arenis
Aulidis, adverſis rado maris æquora fatis.
Quod ſi vela ſinat vento Deus ire ſecundo . . . . .
Curreret extemplo velis mea cymba levatis
Per laudes, Lodovice, tuas, per clara tuorum
Facta, per illuſtres Atavos . . . .
Nunc alio me cura trahit, peregrina vocamur
Per longas in Regna vias, per inhoſpita ſaxa,
Nec ſinor in patriis requiem decerpere campis.
Omnia tum melius referam, quum Purpura frontem
Velabit Romana tuam, quum patribus alto
Adjungere throno, quibus eſt æterna poteſtas.

Curæ igitur, quibus occupabatur Mantuanus, impedimento fuere, quominus Ludovico ſatisfaceret iiſdem quoque prohibitus, ne Jacobi Clavarii Urbinatis vota expleret peten-

---

Decembris Mantuana infula decoratum; anno vero M.D.XI. ſublatum e vivis ſcribit (*Italiæ ſacræ* tomo I. in Epiſcopis Mantuanis col. m. 870. n. XLIII.) Ferdinandus Ughelli.

(182) Tomo III. lib. *Sylvarum* I. fol. 253.

petentis illum, ut Ducum Urbinatum faſtos illuſtrare di-gnaretur, cuique adeo ſic reſpondet (183).

Aſſidue dici noſtris Jacobe camænis
Poſcis honoratam Monfeltria ſemina prolem.
Id quamquam nobis etiam ſuaderet Apollo,
Et phœbea cohors cuſtos Heliconidis undæ;
Me tamen ingenti rapit in diverſa tumultu
Majus, & æthereo ſtudium magis utile cælo:
Nam mihi divinis juvenilia pectora rebus
Erudienda dedit Superum Pater, omnia in iſto
Tempora prætereunt ludo, lucemque nefaſtam,
Et faſtos hoc Marte dies mea conterit ætas.
Ingenuam doceo ſanctis aſſueſcere pubem
Moribus, & ſacras veſtigia ferre per artes.
Nunc mihi per campos iter eſt, & læta Maronis
Æquora Mincigenæ: via nunc ſublimis in altam
Ducit anhelantem Sophiæ paradiſios arcem:
Et modo me Stagiræ ſua per dumeta, ſuumque
Non facile acceſſu limen ſubvectat alumnus:
Cecropii interdum dulces inviſere chartas,
Et libare ſenis ſtudium delectat, & artem,
Sanctaque nobiſcum longos Academia ſoles
Claudit, & eloquiis damus Arpinatibus aurem.
Quid faciam? Nec enim labor eſt mortalibus alter
Nobilior, nec cura viro jucundior ulla.
Hanc mihi militiam Deus, & lucentia mundi
Sidera dant, Superum Domino paremus, & aſtris (184).

Quare

(183) *Sylvarum* lib. I. fol. 244.

(184) Nimirum dicta hæc poetice ab Auctore, qui quam hiſce aſtrologiæ nugis abhorreret indicat apertiſſime, nedum *Aſtronomicam* (ut eo loco vocat pro *Aſtrologica*) artem *inconſtantiæ* arguens, *incertamque* pronuntians lib. II. *De patientia* cap. XXXVI., ſed & quum de aſtrologicis conjecturis ſcribit cit. op. *De patientia* lib. III. cap. XII.: « hæc nugamenta fictitia execramur, & » quaſi nænias infantiles ridemus aſſidue. » Pariter *ecloga* VI.

Qui numerant ſtellas, & ſe comprendere fata
Poſſe putant, ſtulti . . . .

Legantur & in hanc rem Auctoris verſus, quos poſt hujuſce capitis initium ex carmine *De fortuna Gonzagæ* excripſimus:

Sunt qui ſidereis tribuant hæc omnia fatis.

Quare age, præſenti ſi non tibi munere factum
Eſt ſatis, urgentes animi cauſabere curas,
Et veniam concede, labor vult otia tantus,
Mœoniis eſt opus fidibus, totoque Sophocle;
Nam tuus eſt omni dicendus Apolline Princeps;
Differimus; tua vota tamen non irrita fient.

Num vero datam hoc loci fidem exſolverit poſtmodum Mantuanus, haud plane conſtat; habemus tamen (185) ſcriptum ab ipſo carmen ad *Federicum Urbinatium Ducem*, *quum filiam nuptui traderet*, Joannam ſcilicet, Franciſco Mariæ De Rovere a Guidone Ubaldo, cui nepos erat in filium, atque hæredem adoptato (186).

CAPUT VII.

TEMPORUM SUORUM CALAMITATES DEPLORAT,

ATQUE

AD BELLUM CONTRA TURCAS INEUNDUM CHRISTIANOS PRINCIPES ADHORTATUR.

NARRATIS Mantuani in patriam reditu, quæque illi interceſſit cum Gonzagia domo clientela, & quos libens ſuſcepit pro tanto Principe, laboribus, eſt nobis modo, ne tota invertatur Chronologiæ ſeries, paulo altius recedendum. Sub anno igitur MCCCCLXXIX., quo ad Sabinenſis Eccleſiæ regimen Cardinalis Oliverius Carafa evectus eſt, & quo, veluti

(185) Lib. *Sylvarum* I. fol. 245.
(186) Muratorius *Annali d' Italia* tom. X. ad an. M. D. IV.

Digitized by Google

veluti jam nobis eſt ex Muratori (187) animadverſum; teterrimæ peſtis, famis validiſſimæ, cruentorumque bellorum flagellis univerſa propemodum Italia affli&tabatur, Mantuanus N. tot calamitatibus perquamvehementer commotus, gravibuſque adeo ætatis ſuæ malis altiſſime ingemiſcens tres mœrens ſcripſit *De calamitatibus temporum* libros, ad Dominum D. Oliverium Carafa Sabinenſem Epiſcopum, & Cardinalem (188) Neapolitanum, quos ſic auſpicatur:

Cogimur iſtius mala tempeſtatis, & alto
Egreſſas Erebo furias, turpique fugatam
Virtutem exilio, varias percurrere clades
Ob ſcelera immiſſas terris . . . . . .
Bella cient Italæ gentes, nec barbarus hoſtis
Quæritur, inſultans noſtris qui finibus inſtat.
Inter ſe certare parant, & fœdere rupto
Convertere rigens in mutua vulnera ferrum . . . .
Imbelles, acreſque viros, ſenium, atque juventam
Pallida mortifero peſtis graſſata veneno
Sternit humi . . . .

Pergit

(187) Cap. hujus vitæ V. nota 142. Atque hic plane erat omnium Italiæ civitatum aſpectus, ac teterrima facies, quum effuſiſſimæ Auctoris N. in proximos charitati Mantuani Carmeli Patres, eorum curam, ac ſalutem credidit ſemper munificus orbis rector Deus, ut tradit *Commentariorum* lib. II. pag. 104. Carolus Vaghi ſcribens Mantuanum, ipſo hoc anno M.CCCC. LXXIX. & Definitorem creatum, & patrii cœnobii Priorem. Hæc nos omiſimus, uti & collatam eidem generalem Congregationis ſuæ Procurationem annis MCCCCLXXXVI. (eodem teſte ibidem pag. 195.), ac MCCCCXCI. (ibidem pag. 108.), quin & ſilebimus inſtitutum illum Definitorem, ac Romæ in S. Chryſogoni Carmelo Priorem, anno MCCCCLXXXVII. (ibi pag. 106., ac lib. III. pag. 324.), ac rurſus Definitorem, annis proxime ſecutis MCCCCXCIV. MCCCCXCVII. MD. MDIII. MDV. MDIX, ut refert idem Vaghi (cit. lib. II. pagg. 109. 110. 111. 112. 113. 115.), qui etiam Auctorem N. Parmenſis cœnobii Priorem, anno tamen haud deſignato, appellat lib. III. pag. 204.

(188) Tomo I. fol. 1.-- 54.
» Baptiſta Mantuanus illuſtris Poeta libros tres de calamitatibus temporum
» heroico carmine conſcriptos, & Sylvarum librum de pacata Italia eidem
» nuncupavit. » Inquit De Oliverio Carafa cl. Ughelli (*Italiæ ſacræ* tomo VI. in Neap. Archiepiſcopis col. 149. num. XCII), quamvis non librum *Sylvarum*, ſed alterum ex *Sylvarum* carminibus ei inſcripſit Mantuanus.

Pergit inde, graphica hypotypoſi, Vates cl., peſtiſque diræ terrificam plane, ac dignam, quæ hic referatur, imaginem, his verbis, exornat:

Huic tumidum guttur virus levat, ille ſub alis
Fata gerit, qua longa humerus ſe in brachia curvat.
Alterius patulas aures arſura παρωτὶς
Suſcitat occultum, longis ſub crinibus, ignem,
Attonitumque caput feriens vitalia membra
Occupat, atque vias mors una perambulat omnes;
Attolitque caput, qua curſum fatifer humor
Siſtit, & horrificum ſenſim dureſcit in orbem.
Id crudele genus necis, hoc immane, feroxque
Supplicium, hæc ſtygio rabies egreſſa profundo
Perque domos humiles, perque alta palatia Regum
Sævit, & occultis miſeros ferit ictibus artus:
Ut quando, incauti vitio paſtoris, ovile
Incuſtoditum nox intempeſta recepit,
Si lupus heſternæ patiens jejunia lucis,
Sollicituſque fame fuerit per limen apertum
Ad ſolas ingreſſus oves, non mitigat unum
Ingluviem funus, ſed multa cæde madeſcit,
In totum ſævitque gregem: ſic acre venenum
Inſontes, ſonteſque modo proſternit eodem.
Jamque cadaveribus deſunt loca juncta ſacratis
Ædibus, effoſſa paſſim tellure, profanis
Conduntur tumulis, inhonoratiſque feruntur
Funeribus, dictu horrendum, viſuque tremendum!
Præda feris inhumata jacent, & tabe fluenti
Circumſtans tetro locus inceſtatur odore . . . . . .
Paſcuntur per rura canes, aquilæque rapaces
Effodiunt duris hominum cava lumina roſtris,
Inteſtina ferunt volucres, & in arbore ſumma
Exta patrum ſuſpenſa diu videre nepotes.
Membra pater vix ægra trahens, dum frigida condit
Corpora natorum, clauſo nondum ore ſepulcri,
Labitur ipſe ſuper ſua pignora. Crebra ſuorum
Sola, domo vacua, mater dum funera plorat,

Cum lacrymis animam tenues exhalat in auras.
Multi, ante occaſum vitæ, vicina ſcientes
Fata ſibi, condique ſuas tellure volentes
Relliquias fodere ſolum, glebiſque ſubactis,
Sacrato vivi ſe compoſuere ſepulcro.
Rura ſilent, vacuæque ſuis cultoribus urbes,
Jura fori clamoſa tacent, per compita ſurgit
Gramen, & extinctis non lucent ignibus aræ,
Nec ſolitos cantus, nec odores templa Sabæos
Accipiunt, ſquallentque domus, muta omnia mærent.
Qui ſuperant cladi, ſuperum quibus ira pepercit,
Coguntur miſeri ſua dulcia limina cives
Linquere, & in mediis tentoria figere campis:
Sicut per Lybicos ſolet armentarius agros
Ferre larem, ſecumque ſuos vectare Penates.
Vidi ego per tacitos ſaltus, & inhoſpita luſtra,
Mole ſub exeſa ſilicis, curvoque ſub antro,
Monticolas habitare viros, & gramine paſci.
O Superi, loca qui tuti ſecura tenetis,
Si ſcelere offenſi noſtro tam dira movetis
Prælia, ſat veteres, tam multo funere, culpas,
Sat longo luimuſque metu. Jam parcite. Saltem
Relliquias generis, ſemenque relinquite noſtri (189).
Interim

(189) Eadem hæc repetebat, Tragedia, quæ dicitur: *Atyla*, choro I. *Sylvarum* lib. IV. fol. 315.

Bellicus noſtras furor it per urbes,
Marſque lorica radians ahena
Elevat cordis ſitibundus enſem
Sanguinolentum.
Nulla ſperatur requies in iſtis
Cladibus, peſtis magis iſta ſemper
Creſcit, & virus jaculatur omnes
Omne per agros.
Jam diu noſter rigat arva ſanguis,
Et feræ cæſos epulantur artus,
Atque per lucos laniata portant
Exta volucres.
Inſolens campos populatus hoſtis,
Abſtulit fruges, alimenta vitæ
Omnia in prædam dedit, atque paſſim
Regnat egeſtas.

Interim hiſce omnibus etſi angebatur plurimum Carmelita optimus; numquam tamen deſpondebat animo, ſeque hæc omnia paſſus rebus ſervabat ſecundis, quibus aliquando frui datum eſt, dejectoſque animos in ſpem novam erigere; magno ſcilicet gaudio affectus eſt, quoties, diro epidemiæ viru ceſſante, ac remittentibus, quæ alte adeo ipſe deplorabat, civilibus diſſidiis, hoſtes etiam, qui fata armis quocumque ferentes mortis veſtigia, nullo non loco, ſinebant in fugam præcipitem ſe induerunt, anno MCCCCLXXXI. (190), qui felices rerum exitus quantam pepererint Auctori N. lætitiam, quamque ſuavi animum ejus dulcedine perfuderint, facile quiſquam intelligat, ex quo ipſe poſtquam, nuntio de Turcarum incurſibus accepto, ſedula continuo anxietate & viros Principes, & Chriſtianos populos ad arma contra illos capeſſenda, meliori, quo licuerat, modo, adhortatus (191) fuerat, quum exinde collatis ſimul Romanis

Pallor obſcurus, macies, &, hauſtis
Viribus, languor moribunda paſcens
Membra diſcurrunt, & ubique mortis
    Errat imago.
Cernite ærumnas, miſeramque ſortem
Cælites, nec tot populos ſinatis
Amplius turbæ petulantis iſtos
    Ferre tumultus.

His affinia reperias, altero etiam choro, qui in Antuerpienſi, qua potiſſimum utimur, editione non, ut prior ille, in *Sylvarum* libris, ſed extra illos habetur, tomo II. fol. 239. verſo.

(190) » Quum Mahometes II. Turcarum Tyrannus cum ingenti claſſe in » Calabriam appuliſſet, Hydruntem, vulgo *Otranto*, expugnaſſet, ac per » Italiam Barbari fæde graſſarentur, in tanto rei diſcrimine Sixtus IV. curas » omnes ad eos propulſandos adhibuit, Principum opem imploravit, ac tan» dem Hydruntem vindicavit a tyrannide Turcarum, qui, eodem anno » MCCCCLXXXI. nuncio de Mahometi II. morte accepto, Italia ſeceſſerunt.» Graveſon (*Hiſt. Eccl.* ſec. XV. colloq. II.), ac ante ipſum Henricus Spondanus, Muratori etiam, in *Annalibus*, alii.

(191) Tomo I. fol. 154. – 168. carmine, cui hunc fecerat titulum: « Ob» jurgatio cum exhortatione ad capienda arma contra Infideles ad Reges, & » Principes Chriſtianos » quo & Summum Eccleſiæ Pontificem Sixtum IV., &, qui tunc imperabat, Romanorum Regem, & Regem Pannoniæ, ac Regem Francorum, Regem Hiſpaniarum, Luſitaniæ rurſus, Navarræ, Angliæ, Daciæ, Poloniæ, Pruſſiæ, & Ruſſiæ, conſcriptos etiam Senatus Veneti Patres, ac Mantuæ Marchionem Franciſcum Gonzaga, reliquos tandem Europæ univerſæ Principes ad grave hoc, pro publica omnium pace, ineundum bellum invitabat; ad quos tamen non miſſa hæc ab Auctore, ſed uno ſibi ſa-

Digitized by Google

nis, Genuenſibus (192), Pannoniis quoque (193), aliiſque aliorum Principum copiis, Alphonſus Calabriæ Dux belli Imperator deſignatus cum Turcis manus conſeruit, recuperavit Hydruntem, Chriſtianique nominis hoſtes conjecit in fugam, Mantuanus ſibi temperare haud potuit, quominus jucundum Alphonſo promeret epinicion, *Sylvarum lib. III.*, quo hæc, inter alia, eſt modulatus (194).

At modo Thraicios hoſtes, Mahometica caſtra
Finibus ejiciens noſtris, & Japygis ora
Non Calabros tantum ſaltus, urbemque receptam,
Brunduſiique lares, & rura Lacinia longe,
Ac Lacedæmonii tutaris jura Tarenti;
Verum omnem Italiam, ſicut, qui litora ſervat,
Vicinos omnes tractus ſubducit ab undis.

Altero

---

tisfaciendi conſilio fuiſſe digeſta, vel ex eo facile conſtat, quod vir eſſet ipſe privatus, cuique adeo nil cum Principibus in bella ciendis: tum inde ex nimia, qua epiſtolæ quædam ſcriptæ ſunt, brevitate, ut illa ad Daciæ Regem, quæ imo cum anterioribus aliis, vel ipſo contextu, unitur incipiens:

Nec te Dacorum ſceptro decorate ſuperbo
Eſſe decet reſidem . . . . . .

Attamen quædam ſaltem ad eorum aliquos miſſa putavit Ludovicus a S. Tereſia (*La ſucceſſion &c.* chap. CCLVI. pag. 587.) ſubdens imo, quod ſic Mantuanus *incita pluſieurs Princes à prendre les armes*. Sane haud equidem illud, niſi immerito, dixeris nec illum unquam ad Reges, ac Principes viros, nec ad eum ipſos ſcripſiſſe: « Fu le delizie de' primi Potentati del mondo, » i Papi l' apprezzarono, i Re gli ſcriſſero. » inquit de Auctore N. (*Gli Annali di Mantova* lib. XI. cap. VI. pag. m. 847.) Agnellus Maffei, quod rurſus, toto vitæ hujus contextu, uberrime patet. Cæterum non apud unum Mantuanum id genus privatæ, ſic dicam, encyclicæ exempla invenias. Affini œſtro percitus aliquando Carolus Maria Maddius ſcribebat *ad Principes Italiæ carmen paræneticum*, cujus diſticho 10.: cur, inquit:

Cur vos devovit tam dira in fata veternus?
Cur vos nec jugulo cuſpis adacta movet?

Adiſis illius *anecdota poſthuma miſcellanea* a Jacobo Machio Mediolani edita in 12. MDCCXXVIII. pag. 240. – 241. Interea Mantuani objurgatio illa cum exhortatione &c. refertur etiam a Nicolao Reuſner *De bello Turcico orationes, & conſultationes*. Vol. II. edit. Lipſ. in 4. MDXCVI. pag. 272.

(192) Muratori *Annali d' Italia* tomo IX. ad an. MCCCCLXXXI.

(193) Claudii Fleury continuator, *Hiſtoire Eccleſiaſt.* liv. CXV. n. LX,

(194) Tomo opp. III. fol, 278,

Digitized by Google

Altero a ſcriptis hiſce verſibus anno, haudquaquam memoratæ peſtis infortunia omnino fuerant extincta, quibus adeo commotus iterum Mantuanus ſeptem ea deflevit a ſe compoſitis pſalmis (195). Mox anno M. CCCC. LXXXII. rationibus a Muratorio (196) allatis, novum rurſus motum eſt bellum Venetos inter, ac Herculem I. Ferrariæ Ducem, adverſus quem ſigna tulit Robertus Sanſeverinas (197), cui quum

---

(195) Videſis illa tomi I. initio. Arguitur hic a Niceron (*Mémoires &c.* tom. XXVII. pag. 124.) Ludovicus Ellies Du-Pin, quod non VII. Mantuani pſalmos; bene vero VII. Davidis a Mantuano carmine donatis, ſupino videlicet errore detentus annuntiarit, quum imo nec ullum alibi reperire ſit Davidis pſalmum a Poeta N. latinis verſibus expreſſum, unumque occurrat (*Parthenices Marianæ* lib. II.), quod ipſe latino metro adſtrinxit Deiparæ canticum *Magnificat* (Lucæ I. 46. &c.)

Magnifice Regem mea mens extollit Olympi,
Et Deus exhilarat ſancto mea viſcera plauſu:
Vidit enim pectus ſupplex, humilemque miniſtram;
Ingentique meos veſtivit Numine ſenſus:
Propterea ventura canent me cuncta beatam
Secula; namque modis in me ſurgentia miris
Omnipotens rerum miracula ſuſcitat Auctor,
Ipſius æterno clementia flumine torrens
In genus omne fluit, ſicut in Doridis alvo
Perpetui volvunt plenis vada curſibus amnes:
Explicuit forti vires, animumque lacerto,
Atque ſuo elatas diſpergens robore gentes
Eruit excelſos, humileſque in ſceptra vocavit:
Eſuriem ſaturans inopum dimiſit inanes,
Qui terræ rimantur opes. Divina videntis
Suſcepit miſerans pueri genus, atque fidele
Semen, ut antiquis reſponſa parentibus olim
Abrahamo, natiſque dedit, prolique nepotum.

Poſuit, ut liquet, *Divina videntis* pro *Iſrael*, ſcilicet id quoque ſonat Hebræis vox illa. Adiſis Calmet (*Dictionnaire de la Bible* tom. I.) Omiſimus hic Simeonis aliud: *Nunc dimittis* (Lucæ II. 29. &c.), quod ſic ille verſibus effert (*Parthenices Marianæ* lib. III.

Jam mea, Sancte Pater, fueras velut ante locutus,
Ultima pacifico concludis tempora fine.
Namque ſalutarem partum tua maxima dona
Vidimus his oculis, his ſuſtentavimus ulnis.
Immenſam referas lucem, populique ſub ora
Mittis, ut omnigenas cæleſti lumine gentes
Clarificet, creſcatque tuæ nova gloria plebi:

(196) *Antichità Eſtenſi* parte II.
(197) Idem *Annali d'Italia* tomo IX. an. MCCCCLXXXII.

quum poſtea carmen panegyricum Mantuanus panxerit (198), ſic, inter cætera, ſcribit (199):

Arma, viros, fractaſque Padus, ſub gurgite lato,
Volvit adhuc claſſes, & adhuc tinnitibus aures
Ferrariæ tantis reſonant . . . .

Tum ad Venetos ſe referens, de quorum Republica optime meritus fuerat Sanſeverinas: credimus, inquit:

Credimus officiis olim longæva daturos
Signa triumphalem Venetos ingentibus arcum:
Nam penes hos vivit priſcæ virtutis imago (200).

(198) Tomo III. fol. 193. -- 208.
(199) Folio 196.
(200) Quum, verſu interjecto, ſubdat ibidem de eodem Roberto.

At nunc Romanas arces, gentiſque Latinæ
Regna, quibus quondam totus non obſtitit orbis,
Et violata ſacri defendit jura Senatus.

Illud hinc efficias carmen iſtud non ante annum MCCCCLXXXV. digeſtum fuiſſe, quo nimirum Sanſeverinas Innocentii VIII. Vexillarius, ſeu Polemarchus, annuentibus Veneti dominii proceribus, creatus eſt, ceu habet (*Annali d' Italia* tom. IX. an. MCCCCLXXXV.) Muratorius.

CAPUT VIII.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

UNIVERSÆ MANTUANORUM PATRUM CONGREGATIONI PRÆFICITUR.

S. CHRYSOGONI CŒNOBIUM, ET ECCLESIAM IPSIS ACQUIRIT.

ANNO M.CCCC. LXXXIII. coegere Mantuanæ Congregationis Patres generalia comitia Novelariæ (201), in Rhegienſi Diœceſi, in iiſque Mantuanus N. Generalis Vicarius electus eſt, quamvis annos tantum natus V. ſupra XXX. Vix autem ad id muneris aſſumptus rem habuit cum Generali totius Ordinis Procuratore Marco de Monte Catino, qui, die XVI. Maii M. CCCC. LXXXII. in comitiis generalibus Avenione coactis ea auctus fuerat dignitate (202). Rem paucis, ſed nitide exponit, quem nunc exſcribimus, Ventimiglia (203). « Etſi generalium capitulorum ſtatutis, » ac peculiari ſua Bulla, præterito anno, edita Sixtus IV. fratribus, ac ſororibus noſtri Ordinis nigrum in veſtibus colorem præſcripſerit; attamen, hoc anno, qui Pontificatus » ſui fuit poſtremus, idem Pontifex ad controverſias omnes » dirimendas, quæ tunc Religionem inter, ac Mantuanam » Congregationem (cujus præclariſſimus vir Baptiſta Mantuanus Generalis erat Vicarius) verſabantur, ſpeciali ſua » Bulla, ejuſdem Congregationis fratribus poteſtatem facit » habitum griſei coloris, ſive *tanè* induendi juxta conventionem inter Generalem Ordinis Procuratorem, & Genera-

» lem

(201) Lezana, *Annal. Carm.* an. MCCCCLXXXIII. n. 4.
(202) Idem, ad an. MCCCCLXXXII. n. 7.
(203) *Hiſtor. chron. prior. gen.* ad an. MCCCCLXXXIV.

» lem Congregationis Vicarium antea factam. » Litem illam Eminentiſſimis Oliverio Caraffa, ac Joanni Baptiſtæ Cibo diſcutiendam tradidit Summus Pontifex (204), iiſque pro Mantuano definientibus, eam Bullam, cui initium: *Quæ pro regulari caſtimoniæ* (205), fuiſſe, Mantuani ejuſdem precibus, VII. Kal. Junias, anno M. CCCC. LXXXIV. obtentam ſcribit Lezana (206): fuit autem hæc plane rerum circumſtantia, qua ſcriptam a Poeta N. decimam Eclogam cenſent eruditi (207). Equidem haud facile divinaverim, quid cauſæ eſſet, cur nigri coloris habitum alte adeo deteſtaretur Mantuanus; at quamvis univerſam hanc rem non maximi momenti habeo, nolim tamen quis, capta inde occaſione, Auctorem N. ex eorum ingenio eſſe putet, qui in rebus nihili nimiam ſæpe operam ludunt; ſcitum enim apud veteres colorum in veſtibus normam, uſus, diſcrimina varia omnino fuiſſe, ac magna interdum religione obſervata, id, quod, ut cæteros mittam, oſtendunt relati ab erudito Societ. Jeſu ſcriptore Martino De Roa auctores (208); quinimo nec levis prorſus videatur quæſtio illa, ſi ea attendantur, quæ omnigenæ eruditionis vir Leo N. Rhedonenſis in hanc rem ex ipſo etiam Mantuano diſputat, *Typo veſtis monaſticæ*, titulo potiſſimum V. (209). At vero alia nunc memo-

---

(204) Lezana ad an. Ch. MCCCCLXXXIII. n. 4. Sixtus IV. bulla: *Quæ pro regulari caſtimoniæ* &c. *Bullar. Carmel.* tomo I. pag. 385.
(205) *Bullar. Carmel.* loc. cit.
(206) Cit. nuper loco ad an. inquam, MCCCCLXXXIII. n. 4.
(207) Ludovicus a S. Tereſia (*La ſucceſſion* &c. chap. CCLVII. pag. 587.), Coſmas de Villiers (*Biblioth. Carm.* tom. I. col. 233.)
(208) *Singularium* lib. III. cap. VI., lib. VI. cap. XV. Derives huc etiam nonnulla ex Carmeli (*Storia di varii coſtumi* &c. tom. I. cap. XII.). Videſis & Samuelem Pitiſcum (*Lexico antiquitatum Romanarum* tom. III. V. *Veſtis* pag. m. 695.), rurſus Chriſtianum Brunings (*Compendio antiquitatum Græcarum* cap. III. ſect. II. §§. 4. 5.)
(209) *Studio ſapientiæ univerſalis* tom. III. a pag. 395. aduſque 444. Mantuanum facti, quem vocant, errore deceptum ex hiſce ejus verſibus liquet (*De calamitatibus temporum* lib. III. fol. 44., ubi ſic de magno noſtri Ordinis patrono Elia:

: : : : Rudem tunicam tetræ fuliginis inſtar,
Cui ſimplex, experſque artis natura colorem
Fecerat, induitur, per ſæcula cuncta nepotum
Progenies juſſit ſimilem geſtaret amictum.

memoranda præclare a Mantuano geſta, quæ inter non equidem minimi illud fecerim, quod, per id temporis, Summus Eccleſiæ Pontifex Sixtus IV. (210) conceſſa olim ab Eugenio IV. (211) Congregationi Mantuanæ privilegia, Mantuani rogatu, non firmarit modo; ſed & novis aliis conceſſis auxerit, atque ampliarit (212), favente etiam Cardinali Joanne Baptiſta Cibo Ordinis protectore, qui, Sixto IV. die XII. Sextilis M. CCCC. LXXXIV. e vivis erepto, ad ſupremum Eccleſiæ regimen exaltatus eſt, aſſumpto Innocentii VIII. nomine, cui in grati fortaſſis animi teſtimonium, ac etiam, ut illum ad piiſſimi viri Ludovici Morbioli Bononienſis (213) cauſam pro beatificatione in Romana curia aperiendam permoveret, ejuſdem Morbioli vitam carmine digeſtam conſecravit (214), quam rurſus, facta ad eundem Summum Pontificem apoſtrophe, ita concludit:

Magne Pater, qui res hominum ſpecularis ab alto
 Vertice conſultes, judiciumque feras:
Nam nihil audendum temere, nec dicere Sanctos
 Convenit aſſenſum Numinis ante tui.
Si tamen hunc liceat cæleſtibus addere Divis,
 Surgeret ætatis gloria ſumma tuæ.
Sit tibi proſperitas, te Neſtoris, atque Sybillæ
 Secula in æterni nectaris arva ferant.
Hactenus hæc, olim, quum nos donaveris urbe
 Romulea, plectro te meliore canam.

 Quibus

(210) Conſtit. *Sedis Apoſtolicæ* XII. Auguſti an. MCCCCLXXXIII. *Bullar. Carmel.* tom. I. pag. 378.
(211) Bulla *Fama laudabilis* III. Septembris an. MCCCCXLII. *Bullar. Carm.* tom. I. pag. 203.
(212) Lezana ad an. MCCCCLXXXIII. n. 5.
(213) Cujus mores, atque eximiam pietatem, quum Bononiæ ageret, teſtis oculatus perviderat, ceu & Henrico Spondano, *Baronii epitome* (ad annum MCCCCLXXII. n. XIV.) adnotatum eſt, & ex eo Lezana, ad eundem annum (n. 6.) animadvertit.
(214) Tom. opp. II. fol. 220. -- 229. Hoc Mantuani carmen italice reddidit ejuſdem Congregationis alumnus Joannes Petrus Chizzola, uti habet Joannes Maria Penſa (*Teatro* &c. pag. 272.), Villiers (*Bibl. Carm.* tom. II. col. 74.).

Digitized by Google

. Quibus ſcilicet Mantuani votis libens annuiſſe videtur Summus Eccleſiæ Hierarcha: nam primo, Ludovici Morbioli memoriam ſacris Eccleſiæ faſtis inſertam colligi poſſe videtur ex viro literis commendatiſſimo Claudio Chaſtellain (215), ex Maſini, Sigonio (216), aliis: quod autem urbe poſtmodum a Summo eodem Pontifice Auctor N. donatus ſit, id, conceptis verbis (217), affirmat Ludovicus a S. Tereſia, qui & illud obſervat plura a Mantuano Romæ degente eidem Summo Pontifici dicata poemata, ad illa fortaſſis reſpiciens, quæ extant *Sylvarum* libris (218). Quo vero tempore

---

(215) In *Martirologio Gallico* pag. 547., ad quod appellat Villiers *Bibl. Carmelitanæ* tom. I. col. 224.

(216) Eumdem Morbiolum *Beati* inſignit titulo Maſini (*Bologna perluſtrata* IX. Novemb. pag. 562.): ſed & titulo *Beati* decoratur a cl. Philippo Argelati, recenti ſua operum Caroli Sigonii editione Mediolanenſi in folio M.DCC. XXXIII. (tomo III. intra coll. 622.--625), ea ſcilicet referente, quæ de Morbiolo ex Mantuani eo carmine exſcripſerat Sigonius (*De Epiſcopis Bononienſibus* lib. IV. in Philippo Calandrino cit. edit., & tomi coll. 515. 516.), quam rurſus vitam a Sigonio ex Mantuano ſic collectam, & ad ſe a Bononienſi antiſtite Cardinali Gabriele Palæoto dono miſſam collectioni ſuæ Laurentius Surius inſeruit (tom. VII. *De probatis SS. hiſtoriis* die XXVIII. Octobris pag. 795. edit. Colonienſis in fol. an. M. D. LXXXI.). Legatur omnino Benedictus XIV. (*De canoniz.* lib. II. cap. XVIII., n. 6.), ubi hoc, quod in Bononiæ Metropolitana Eccleſia extat, Ludovici Morbioli auratis litteris exaratum elogium commemorat.

BEATO. LVDOVICO. MORBIOLO. BONONIENSI
VIRO. VITAE. SANCTIMONIA. ADMIRABILI. MORVM
INTEGRITATE. MIRACVLORUM. CLARITATE. ILLVSTRI
CVIVS. INCLYTA. FACTA. BAPTISTA. MANTVANVS
LVCVLENTO. CARMINE. PROSECVTVS. EST
VIX. AN. LII. OBIIT. V. NON. NOVEMB.
CIƆ. CCCC. LXXX.

CHRISTVM. DILEXI. FOVIT. ME. DENIQVE. CHRISTVS
QVAESIVI. CHRISTVM. CHRISTVS. ET. ECCE. MIHI

Laudatur hinc Mantuanus & ab Emmanuele de Azevedo, *Synopſi Benedicti XIV. de canoniz. loc. cit.*

(217) » Cet ouvrage plût au Pape, qui le manda à Rome, où il s'emplo- » ya en divers ouvrages, qu'il lui dédia. » *La ſucceſſion* &c. chap. CCLVII. pag. 587.

(218) *Pro die natali Laurentii Archiepiſcopi Beneventani* fol. 250. 251. *De legatione Inachi Mendociæ Comitis Tendiliæ, Regii, pro Majeſtate Catholica, ad eumdem*

pore Summi Pontificis nutu Romam venerit indicat Ludovicus idem a S. Tereſia, anno videlicet MCCCCLXXXV., quo Vicarii Generalis munere eſt abſolutus. Ex iis autem (219), quos tum ſibi præcipuo devinxit amore, fuit Eminentiſſimus Hieronymus Baſſo De-Rovere Sixti IV. ex ſorore nepos, Recinetenſis (220) Epiſcopus, ac titulo S. Chryſogoni Cardinalis (221), apud quem, quum magnam & pietatis, & ſapientiæ exiſtimationem conſecutus eſſet Mantuanus, in animum induxit Princeps Eminentiſſimus Eccleſiam, cujus ipſe titulo nominabatur, cœnobio eidem adjuncto, Mantuanæ Congregationis Patribus adſignare, ſeu id executus poſtea fuerit anno, ut putaſſe viſus eſt Lezana, MCCCCLXXX., ſeu paulo ſerius, uti contendit Ludovicus a S. Tereſia eam præſertim ob cauſam, quod S. Chryſogoni titulum Cardinalis Baſſo nondum, eo anno, ſuſcepiſſet, cui & Ventimiglia ſubſcribit aſſerens (222) fundatum S. Chryſogoni cœnobium anno MCCCCLXXXVI., quam ſane in figenda conceſſionis illius epocha hiſtoricorum diſcrepantiam, quum haud plane ignoraret Lezana citatus,

 hoc

Innocentium VIII. Oratoris fol. 247. -- 250. Huc quoque appellandum fortaſſis carmen epicum quingentis conſtans, ac ſeptuaginta circiter verſibus, inſcriptum: *Papalis triumphus*, quo Innocentii Papæ VIII. *στεφανώσις* deſcribitur *Opuſculo* XII. codicis MS. Hieronymi Baruffaldi (penes Calogera cit. olim tom. XXVI. pag. 175.), quod Mantuano N. adſcribendum ſuſpicatur idem Baruffaldi I., quod excipit immediate *Opuſculum* XI. continens memoratam alibi (nota 130.) ipſius Mantuani orationem: II., quod, inter Legatos ſolemnitati illi adſtantes, principem locum Mantuano adjudicat.

(219) » Le terme de Vicaire Général de notre Mantouan, qui, ſelon les » conſtitutions de cette Congrégation, ne doit durer, que deux ans, étant » expiré, notre Mantouan fut à Rome par ordre de ſa Sainteté, où il ſe » fit admirer par ſa doctrine & ſa piété. Entre les Cardinaux, qui pour ſes » qualités l'affectionnerent, fut le neveu de Sixte quatrieme, comme fils » d'une ſœur de ce Pape, nommé, à cauſe de ſon pere, Jérome Baſſo, que » d'autres nomment Jérome de Ruvere, du nom de ſa mere. Ce Cardinal » ayant été crée par ſon oncle Evêque de Recanati en la Marque d'Ancone, » Cardinal de Sainte Balbine, & puis, en changeant de titre, Cardinal de » S. Chryſogon, conſidérant de près les vertus de notre Mantouan, & ayant » ſçu de lui la régularité, qui s'obſervoit en la Congrégation de Mantoue, » voulut leur ſonder un Convent à Rome, & leur donna l'Egliſe de S. Chry» ſogon. » *La ſucceſſion* chap. CCLVII. page 587.

(220) An. MCCCCLXXVII. juxta Ferdinandum Ughelli (*Italiæ ſacræ* tom. I. in *Epiſcopis Recanatenſibus* §. XXIV. col. m. 1223.

(221) Fabre Claudii Fleury continuator (*Hiſt. Eccl.* liv. CXIV. n. CXLIII.

(222) *Il Sacro Carmelo Italiano* lib. I. cap. VI.

hoc pacto, diſſentientes invicem opiniones componere, ac mutuo conciliare ſatagebat (223). « Data eſt Ordini noſtro, » ſub anno iſto (1480.), celebris in alma urbe S. Chryſo- » goni nuncupata Eccleſia . . . . . . Ad annum 1486. ca- » ſum quidam referunt; alii ad annum 1487., cæterum » non magni ponderis eſt hæc diverſitas, quia potuit con- » tingere, quod, toto hoc ſeptennio, Religio curaret habere » hanc Eccleſiam, præſertim quum ſimilia negotia Romæ » procraſtinari ſoleant, & ita etſi pro anno 1480. inchoata » fuerit hæc donatio, non tamen perfecta uſque annum » 1486., vel 1487. Id certius donatam fuiſſe a Cardinali » Recanatenſi, procurante N. Baptiſta Mantuano, cujus me- » rita apud Principes magnos hoc, & majora præmia jure » expetere poſſent ». Utcumque fuerit conceſſionis Bulla *In eminenti* ſub die IV. Julii ſignata eſt, anno M. CCCC. LXXXIX., uti conſtat ex *Bullar. Carmel.* tom. I. pag. 407.

(223) Tom. IV. ad an. MCCCCLXXX. n. 2.

CAPUT IX.

Digitized by Google

CAPUT IX.

CREATUR SECUNDO SUÆ CONGREGATIONIS VICARIUS.

SACRAM MARIÆ LAURETANÆ ÆDEM ORDINI OBTINET,

EIQUE, PRO VALETUDINE RECIPIENDA, NUNCUPAT VOTUM.

QUUM vir æternum victurus, & ubi privatam agebat in ſuo Ordine perſonam, tot exantlaret pro ea, cui ſe mancipaverat, dilecta Congregatione labores, nil utique mirum, ſi illum in patrem nemo Religioſorum non vehementer exciperet. Hinc factum, ut coactis Mutinæ ſuæ Congregationis comitiis, anno MCCCCLXXXIX. fuerit ſecundo (224) in Generalem ejus Vicarium electus. Quum autem laudatus olim Recanatenſis præſul, & Mantuanum N., & creditam illi Congregationem novis in dies cumulare beneficiis, ſuumque erga illam affectum, clarioribus, quibus poterat, argumentis, eidem teſtari ſatageret, cœnobium Congregationi in ſua Recanatenſi Diœceſi concedere inſtituit, Templorumque ſanctiſſimum, ac omnium, quæ in orbe ſunt, celeberrimum, ſacram Lauretanam Ædem ejuſdem curæ committere decrevit, quam, Innocentii VIII. auctoritate, ſuſcepit, eodem hoc anno (225), Mantuanus, qui illius cuſtodiæ triginta adhi-

(224) Lezana (ad an. MCCCCLXXXIX.), Villiers (*Bibl. Carm.* tom. I. col. 229.), Vaghi &c.

(225) MCCCCLXXXIX., quam etiam epocham amplectitur (*Reſp. ad N. Sebaſtianum a S. Paulo* art. XVI. §. XV. n. 189.) Daniel Papebrochius,

adhibuit ex gravioribus Mantuanæ ſuæ Congregationis Patribus, ut teſtes ſunt locupletiſſimi Lezana (226), Villiers, Ventimiglia, ac cæteri Ordinis annaliſtæ, ipſeque Mantuanus, brevi, quam ſcripſit, illius Domus hiſtoria ampliſſimo eidem Cardinali nuncupata (227), quam de eo argumenti genere eſſe omnium primam obſervat, *Hiſtoriæ Lauretanæ* lib. II. cap. VI. Horatius Turſellinus, quo eodem loci, magnum ſacro illi domicilio nomen, ea Mantuani lucubratione, comparatum ſcribit, alterumque ex triginta iis Patribus Mantuanum ipſum fuiſſe cenſet, quod ultimum non utique videtur ita certo conſtare, niſi brevi eum inibi moratum dicamus: præterquam enim graviſſima, quibus ille diſtinebatur, negotia, ac muneris ſui partes alio eum neceſſario vocabant, fuiſſe ipſum inde abſentem ex eo etiam apertiſſime videris, quod, aliquot exinde annis, uti habet Ludovicus a S. Tereſia (228), ideſt, ante annum ſaltem M. CCCC. XCII., ut non obſcure inſinuat Coſmas Villiers (229), votum Auctor N. emiſit ad eamdem Divam Virginem

---

Regebat tunc Ordinis clavum Pontius Raynaudus: hinc illa N. Sebaſtiani Fantoni Caſtrucci verba: « L'anno MCCCCLXXXII. ſotto Siſto IV. fu eletto » Generale Ponzio Raynaud d' Avignone, il cui generalato fu reſo celebre » per la cura della S. Caſa di Loretto commeſſa in ſuo tempo all' Ordine » Carmelitano. » *Iſtoria d' Avignone* tom. I. lib. I. cap. X. §. V.

(226) Ad an. MCCCCLXXXIX. n. 3. Vigintiduos tantum Patres Ædi Nazarethicæ cuſtodiendæ deſtinatos memorat Penſa (pag. 54.). Qui triginta adſignant, eos quidem *Patres graviſſimos* appellant; at forte quinque etiam, aut ſex Laicos, eo Carmelitarum numero, complectuntur.

(227) Habes illam tom. opp. IV. pagg. 216. – 226. Laudat eam, inter alios, Honoratus N. a S. Maria *Reflexions ſur les regles, & ſur l'uſage de la critique* tom. II. liv. III. diſſert. I. art. II. §. II. pag. 233.

(228) Cit. op. chap. CCLVII. pag. 588.

(229) *Bibl. Carmel.* tom. I. col. 233. Cæterum labente anno MCCCCXCIV., ac MCCCCXCV. ineunte, Mantuæ illum fuiſſe liquet aperte ex ejus ad Joannem Franciſcum Picum epiſtolis, quarum altera data eſt Mantuæ, menſe Octobris MCCCCXCIV.; altera ibidem, die XXVII. Novembris ejuſdem anni; altera item Mantuæ III. Januarii anni proxime ſecuti MCCCCXCV. Extat prior illa operum Joannis Pici pagg. 392. 393.; altera lib. II. *Epiſtolarum* Joannis Franciſci Pici pag. 1296.; poſtrema ibidem pag. 1299. Quamquam non hæc impediunt, quominus & ad aliquod tempus commoratum ibi Mantuanum credamus, præſertim quum & a Carolo Vaghi dicatur: *Sanctiſſimæ Domus Lauretanæ primus cuſtos.* (*Commentariis fratrum, & ſororum Ordinis Beatiſſimæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Congregationis Mantuanæ* lib. II. ad an. MCCCCLXXXIX. pag. 108.).

Digitized by Google

nem, *pro recipienda ſoſpitate poſt febrem acerrimam* (230), quod ſic carmine expreſſit :

Ad tua confugio ſupplex altaria, Virgo,
Et fero nocturnas in tua templa preces.

Tum vero diſtichis 32. 33. 34.

Erue me tantis igitur, Regina, periclis,
Et laceræ ſparſas collige navis opes.
Mox, ut liber ero, Lauretia Templa reviſam (*),
Et tibi de noſtro carmine munus erit.
Carmine perſolvam grates, & carmine laudes,
Carmine divinum teſtificabor opus.

Ad votum hoc, quod & Petrus Caniſius (231) ſcriptor apud Jeſuitas clariſſimus commemorat, emittendum animum decumbenti Mantuano adjecerant fortaſſis prodigia illa curationum, quæ, quum ibi ipſe verſaretur, haud ſemel fuerat demiratus, veluti facile conjicere eſt poſt Ludovicum a S. Tereſia (232), cui & illud animadverſum, carmen hoc Virgini Lauretanæ ab Auctore devotum intercidiſſe (233); neque

---

(230) Tomo opp. II. fol. 54. 55.
(*) Vox hæc notam præc. illuſtrat.
(231) *De corruptelis verbi Dei* tomo II., qui eſt *De Maria Deipara Virgine*, lib. V. cap. XXV.
(232) *La ſucceſſion* chap. CCLVII. page 588.
(233) Hæc tamen habet de Lauretana illa Domo, libro *Agelariorum* VI.

. . . . . . Delubrum eſt illud venerabile magnæ
Matris, ab Aſſyriis quod Dii ſuper æquora quondam
Huc manibus vexere ſuis. Viſa ire per undas
Hæc (res mira!) Domus, viſi ire per æquora Divi.
Nam Divum Regina Arabis offenſa Tyrannis,
Qui temere Aſſyriam ſe ſe effudere per omnem,
Fugit, & huc voluit ſecum migrare penates.
Quotquot ab Aſſyriis hæc uſque ad littora pontum
Juxta habitant fecere fidem. Pamphylia jurat
Se vidiſſe, Cilix, Lycius, Minoia Tellus,
Tænarus affirmat, Delphine, & Arione vectos
Tænarus inſignis. Facti meminiſſe fatentur
Arcades, Ætoli: ſcopulis Epirus ab altis
Ad mare tota ruit. Thalamo fuit hoſpita ſancto

neque enim ulla ſubeſſe videtur æqua dubitandi ratio, quin fuerit ab eo ſanitati videlicet reſtituto conſcriptum, Virginique SS., prout voverat, dicatum. Illud hic interim, ceu pro capitis coronide, noverit vitæ hujus Lector, ſacram Laureti Ædem, quam Congregationi, & Ordini obtinuerat Mantuanus, eam, Congregationis Vicario Petro Traverſino (234), Sanctæ Sedi fuiſſe reſtitutam, anno, ut putat Lezana (235), M. CCCC. XCVII., vel potius, uti ex Vaghi colligit Ventimiglia (236), anno ſequenti M. CCCC. XCVIII., novem ſcilicet a ſuſcepta illius cuſtodia annis, quod & Turſellino adſtruitur (237), vel paulo poſt, idque, ſeu ob aeris incommoda, cælique ex circumjectis nemoribus, lacuniſque plurimis gravitate, qua ad extrema uſque fratres inibi degentes identidem perducebantur, ut quorumdam ſententia

---

Illyris. Illyricos primum divertit in agros;
Sed pertæſa locos, parvo poſt tempore, rurſum
Prodigio grandi, volitans de litore in undas
Italiam verſus greſſum, aſpirantibus euris,
Vertit, & ut tetigit terras ſublimis in auram
Exiliens (vidit Picens miracula, & Umber.)
Hos tenuit colles, illaque reſedit in arce.
Et quia tranſvectam mulier Laureta recepit
Virginis Ædiculam præbens ubi ſiſteret agrum,
Lauretæ Delubra vocant. Neu crede ſuperbam
Hanc Ædem veniſſe fretis: ſuperaddidit iſta
Templa Sacerdotum Princeps ingentia Paulus.
At breve ſublimi latet hac ſub mole ſacellum,
Quod fugat infernos manes, quod diſcutit omne
Morborum genus, extremis venit unde periclis
Auxilium, ſeu ſors terra, ſeu ſæviat alto.
Huc Itali, Siculique ferunt ſolemnia vota,
Huc fluit Epirus, fluit Illyris, accola Rheni,
Accola Danubii, venit uſque a littore Narbo
Galliæ, & iſthmiacæ Spartanus ab æquore terræ.

Iiſdem fere militat argumentis, pro aſſerenda huic hiſtoriæ fide, Daniel Farlatus Jeſuita doctiſſimus. *Illyrici ſacri* tomo IV. in *Epiſcopis Corbavienſibus* §. III. pag. 95. edit. Ven. in fol. MDCCLXIX.). Conferatur de Lauretana hac Æde omnium optime meritus Petrus Valerius Martorelli.

(234) Confer de illo *Bibl. Carm.* tom. II. col. 619.

(235) Colligit id ipſum poſt Lezana eruditus Villiers.

(236) *Hiſtor. chronol. Prior. Gen.* ad an. MCCCCXCVIII., atque *Il ſacro Carmelo Italiano* lib. I. cap. VI.

(237) *Hiſtoriæ Lauretanæ* lib. II. cap. VIII.

tentia eſt; ſeu, quod, ut alii opinantur, impenſis, eo loco neceſſariis vix ſatisfacere poſſent (238).

CAPUT X.

QUOD RELIQUUM VITÆ HABUIT, ANTEAQUAM SUPREMUS RENUNTIARETUR UNIVERSI ORDINIS MODERATOR.

QUUM, anno M. CCCC. XCI. Auctor N. Vicarii officio eſſet abſolvendus, congregatis ad comitia Patribus nonnulla agenda propoſuit, quæ & Congregationis decori, & quietæ ſingulorum tranquillitati, ut (239) Villiers adnotatum

eſt,

(238) Nazarethicæ hujuſce Domus hiſtoriam primum a ſe editam ſuſpicatus Cuperus (nuncupatoria ad ſuæ edit. tomum IV.) falſi arguitur a cl. Freytag (*Apparatus litt.* tomo III. notis ad §. VI. pag. 34.) ex Petro Niceron, qui (*Memoires &c.* tom. XXVII. pag. 122.) vetuſtiorem aliam illius hiſtoriæ editionem, in Ædibus Aſcenſianis, an. MDXIV. adornatam commemorat. Interim, ut ad dimiſſam a noſtris ſacræ illius Ædis cuſtodiam revertamur, an alia fuerint, præter memorata, inde excedendi motiva non plane conſtat. Henricus Spondanus (ad an. MCCCCLXXXIX. n. XI.) loci intemperiem cauſatur & ipſe. Mirere fortaſſis, humaniſſime Lector, univerſam hanc rem & Raynaldus ſiluerit, & alii rerum Eccleſiaſticarum Annaliſtæ: verum, præterquam eorum quoque permulti id tacite innuunt, dum ceu veram aſſumunt a Mantuano conſcriptam illius Templi hiſtoriam, qua fuſe hæc omnia ille perſequitur, veluti ipſe Raynaldus (ad an. MCCCCLXXXIX. n. XXIII.), Honoratus a S. Maria (loco ſuperius, nota 227. citato), alii: ergone Mantuanum Diœceſano ipſi Antiſtiti, in re aperta adeo, adeo impudenter mentitum ſuſpicemur? Ergone ex uno aliquorum ſilentio robur omne adimatur, omnis detrahatur fides expreſſæ Turſellini, Spondani, Bzovii, Papebrochii, aliorumque auctoritati? Cæterum hoc Hiſtoricorum aliquot ſilentium mirari is deſinat, qui brevem noſtrorum ad Laureti ſacellum manſionem animo repetat, Scriptorumque non rem tantum ipſam, quam, quo illa ſcribitur, ſcopum attendat. Interea non hic ſilendus Bruzen la Martiniere, qui de ſacra illa Æde ait: « Innocent VIII. y mit les Carmes. » (*Grand Dictionnaire géographique & critique* tom. V. art. *Lorete* pag. m. 312.

(239) Loco inf. cit.

eſt, atque ex Summi Pontificis Bulla (240) *Pro parte dilecti filii Vicarii Generalis* eruitur, conducerent. Iis aliquando expeditis, privatam vitam, ſtudiiſque, quibus tantopere delectabatur, idoneam agebat Mantuanus, quum Summus Eccleſiæ Pontifex Alexander VI. (241), gente Hiſpanus, die XI. Auguſti, anno M.CCCC.XCII. (242) Pontificio tridemate coronatus, vehementer exoptans, ut Domini ſui Ferdinandi Aragoniæ Regis præclara facinora, ſtilo, ut decebat, gravi, expolitoque, celebrarentur, id muneris Mantuano N. demandavit præcipiens illud potiſſimum, ut Granatam a Maurorum manibus, Ferdinandi ſollertia, ac bellica virtute, omine felici, adſertam vividiori carmine caneret, ac poſterorum memoriæ, ſpeciali quadam ratione, ſtudioque commendaret. Propoſuerat igitur, ut habet, argumento in hoc Mantuani carmen, Aſcenſius: « Propoſuerat Poeta juſſus a Pontificum maximo Alexandro VI. ordiri bellum Ferrantis, ſeu Ferdinandi Hiſpaniarum Regum clariſſimi, quod tunc feliciter gerebat in Saracenos pro recipienda Granata, quam nuper feliciſſime recepit; ſed, quia nondum profligatum tunc erat, & Poeta pluribus urgebatur negotiis, conſtituit, veluti præludium quoddam, Alphonſum prius dicere. » uti ipſemet Auctor enarrat, initio libri I. ſcribens (243):

Heſperiæ gentis bellum orditurus, & arma
Magnanimi Ferrantis eram: ſic juſſerat orbis
Rector, ab excelſa Romam qui temperat arce;
Sed vetor . . . . . .
Interea dum Mars bellis flagrantibus hoſtem
Fulminat, & noſtris ſcelerum caput arcet ab oris,
Nos

(240) Prodiit, non, ut ait Ludovicus a S. Tereſia (chap. CCLVII. pag. 588), menſe Septembri; ſed, ut Lezana ſcribit (ad an. M.CCCC. XCI. n. 2.), & poſt ipſum Villiers (*Bibl. Carmel.* tom. I. *in Cardinal. protector. ſerie*), menſe Novembri, & quidem non, ut habet Lezana die XXIII., ſed VIII., uti habet, eodem loci, Villiers, ac *Bullar. Carmel.* tom. I. pag. 410.

(241) Non IV., ut habet, cit. loco, Ludovicus a S. Tereſia.

(242) Ex Papebrochii Chronotaxi. In *Propylæo*, ſeu *Conatu chronico-hiſtorico* parte III. num. CCXVIII.

(243) Tomo opp. III. fol. 2. -- 98.

Nos alia ordiri, ſed non aliena parumper
Fas erit, ac magnis tenui præludere cantu
Orſibus, atque diu reſidem tentare monaulon;
Alphonſus modo carmen erit . . . .

Dicavit opus illud Reverendiſſimo Condiſſalvo Hæredio Tarraconenſi Archiepiſcopo, de quo hæc Auctor (244):

(244) *Alphonſi* lib. V. ſol. 78. Alterum Hærediæ gentis virum, Ducemque inviсtiſſimum Conſalvum Ferdinandum Agelarium celebrat Poeta N. carmine in libros VI. tributo (tomo *Operum* I. fol. 282. – 374.), atque *Agelariorum* titulo prænotato. Fuiſſe illud a Mantuano jam ſene conſcriptum hi ejus indicant verſus (ibidem lib. IV. paulo ante finem):

Quo rapitis feſſum Libethrides? Iſte juventæ
Eſt labor. Iſtud onus, quod erat melioribus annis,
Quum cecini Alphonſum, Mantoaque bella, ferendum
Ante ſenectutem, labenti imponitis ævo.

atque ea fortaſſis cauſa factum eſt, ut minus perfectum evaſerit poema illud; quamquam non adeo parvipendendum, ut innuiſſe videtur Jovius, qui ſcilicet hic prodit in ſcenam iterum, locoque olim citato, ſic pergit: « Incidit » (Mantuanus) in ea tempora, quibus nullis mediocribus Poetis locus erat. » Reperit tamen ſibi æmulum, incondito furore, Conſalvi res geſtas decan» tantem, cujus exploſione clareſceret. Is erat Cantalicius pro bono Poeta » ab optimo Duce mediocris etiam virtutis amantiſſimo liberaliſſime ditatus. » Verum & hunc, & ipſum quoque Carmelitam, deſumpto eodem argumen» to, Gravina male partæ laudis loco ſtrenue deturbavit, quum inchoatum » poema nobile Pontano, atque Actio cenſoribus recitaſſet.» Quæ eadem ſeu vera fuerint, ſeu falſa exſcripſit (*Jugement des Scavans* tom. IV. n. 1247. pag. 327.) Hadrianus Baillet, ſeu, inquam, vera fuerint, ſeu non; ſaltem enim comparari invicem non amplius poſſunt, quum Gravinæ opus illud, uti a De la Monnoye (ad cit. Baillet tom. IV. n. 1252. nota 2. pag. 332.) ſcriptum eſt, interciderit. Quin aperte illud eſt a Moreri de Mantuano adſertum (*Grand Dictionn.* V. *Spagnoli* tom. XIV. cit. olim edit. pag. 1511.) » Paſſoit pour le plus excellent Poete de ſon tems.» quod & aliorum fuit de eodem Mantuano judicium; etſi Mantuanus pro ea, qua erat, humilitate, atque modeſtia, longe aliter de ſe ipſo ſentiebat, qui & aperte illud ad Pontanum ſcripſit, carmine, quod illi extempore cecinit, atque *Sylvarum* libris reperitur.

Quum legerem nuper, curis accenſus amaris,
Uraniem, Pontane, tuam, lucentiaque aſtra,
Et cæli ſtellantis opus, egreſſa repente
Luxit, ut expulſa ſol tempeſtate, voluptas.
Carminibus vis tanta tuis, quantam neque Circe,
Nec Medæa ſagax medicis invenit in herbis . . . . .
Te virides inter lauros, Bajanaque tempe,
Per loca, quæ fertur coluiſſe Papinius olim,
Pierides aluere Deæ. Nos inter opacas

Ipſe ſacras ad dura manus non porriget arma:
Relligio juvenem, pietaſque innata Deorum
Præficiet ſacris. Illum Romana videbit
Tarraco, ſollemni pompa, conſcendere ad aras.

Anno M. CCCC. XCIV. prodiit Mantuæ (245) celebre Joannis Creſtoni Carmelitæ Dictionarium græco-latinum, ſic græce inſcriptum: ΛΕΞΙΚΟΝ ΚΑΤΑ ΣΤΟΙΧΕΙΟΝ. ab Henrico Stephano, a Joanne Alberto Fabricio, in utraque tum græca, tum latina Bibliotheca, a Manſi, a Saxio, ab aliis (246) commendatiſſimum, atque, ea fortaſſis occaſione, ejus

Mintius eduxit ſalices, per aquatica rura,
Inter arundineas, lutris ubi tecta, lacunas.
Propterea mea fila ſitum ſenſere paluſtrem,
Et rudis ex trunco nobis formata ſaligno
Eſt lyra, & articuli reſides, & inutile plectrum:

(245) N. Orlandi *Origine, e progreſſi della ſtampa* parte II. pag. 381.

(246) V. *Bibl. Carmel.* tom. I. coll. 820. 821. Adde his Ludovicum Antonium Muratori (*Diſſert. XLIV. medii ævi* col. 929.), ubi tamen Carmelitam eum fuiſſe minime ſcribit, quod, quum & alii aliquot ſiluerint, ac ſæpe, uno *Monachi Placentini* vocabulo, indicent; ſactum hinc, ut inſigne adeo Carmelitici Ordinis mei decus Benedictinis Monachis accenſuerit nuperrime (*Storia della Letteratura Italiana* tom. VI. parte II. lib. III. cap. II. §. ult.) Hieronymus Tiraboſchi, quamvis facile arbitror mendum cl. Hiſtoriographo, quin vel adverteret, excidiſſe, quum advocet, ibidem, ad Literariam Saxii Hiſtoriam, qua ſemel, iterumque *Carmelita* appellatur, uti & *Carmelitam* fatentur (mitto enim NN. Lucium, Falconem, Caſanate &c.) Henricus Stephanus, Trithemius licet Benedictini Ordinis Abbas, Fabricius, Morhoſius, Maittaire, aliique multi penes Villiers, cit. loco, quibus addendi omnino Mazzuchelli (*Gli Scrittori d' Italia* vol. I. parte I. pag. 88. nn. XI. XIII.), Manſi laudatus (*Præf. ad Fabricii Bibliothecam mediæ, & infimæ latin.*), appendix ad *Bibliothecam Smithianam* (pag. CCCXIV.), Apoſtolus Zeno (*Lettere* vol. II. lettera XC. pag. 184.), ex quo etiam diſcimus Franciſcum de Giannini Græcolatinum Creſtoni *Lexicon* N. Baptiſtæ Mantuano adjudicaſſe. Rurſus Creſtonum *Carmelitam* expreſſe nominant Hermannus Torrentinus (*Dictionario poetico* Lugduni apud Gryphium edito MDXXXV. epiſt. ad Lectorem), Caſimirus Oudin (*Diſſert. de primis artis Typographicæ Inventoribus* cap. IV. de Scripp. Eccl. tom. III.) a Chriſtiano Volphio (*Monumentis Typographicis* parte II. Hamburgi MDCCXL. pag. 872. ſeqq.) exſcriptus. Omiſi libens Mantuani fratrem Ptolemeum, qui Joannem Placentinum *Carmelitam* vocat, ejuſve & Lexicon, & Pſalterium laudat (*Apologia pro Mant.* pag. 147.): ſilui etiam, qui omnium inſtar eſſe poſſit, Chriſtophorum Poggiali, a quo (*Memorie ſtoriche di Piacenza* tomo II. pag. 280.) Joannes Monachus Placentinus dicitur: « Frate Carmelita» no . . . . . celebre Letterato Piacentino, che fu uno de' primi, e princi» pali riſtoratori delle Greche lettere in Italia » pag. vero 282. notat ex Bagaratto, ſodalem hunc N. ob penitiſſimam Græcarum literarum cognitionem,

Digitized by Google

ejus Auctori gratulabatur Poeta N. carmine, quod hoc & inchoatur, & definit diſticho (247):

Vade Caleſtani viſure cacumina montis,
Vade, bono auſpicio; ſed meliore redi (248).

Anno M. CCCC. XCV. celebrata ſunt Mutinæ Congregationis comitia, in quibus, qui ſimul convenerant, Patres Mantuanum N. ſibi in Præfectum, tertia vice, elegerunt (249), quo munere abſolutus privatam rurſus vitam egit aduſque annum M. CCCC. XCVII., quo, Vaghi (250) teſte, creatus eſt Definitor. Eo ſub tempore, anno, inquam, M. CCCCXCVIII. die XXVII. Martii, una cum P. M. Thoma De Caravagio viro & ipſo de Mantuano cœnobio ſuo perquamoptime merito, a D. Magdalena de Melis ædes, tradita pecunia, coemtas Mantuanis Patribus acquiſivit (251). Scilicet ita pietatis officiis, ita litteris, ſtudiiſque ſuis incubuit, ut quæ privatam ſpectabant cœnobii œconomiam haud tamen oblitus, & in iis ſedulam quoque operam collocaret, id, quod & toto vitæ hujus contextu, capite præſertim XI. facile ſuadetur, & non eximia laude vacat (*).

Altero exinde anno M. CCCC. XCIX. Ludovicus XII. Galliarum Rex Mediolani Ducatum, Genuam, atque Novariam bello potitus, vix redux in Galliam profectus erat, quum

---

Græcum antonomaſtice appellatum. Hiſce omnibus non eſt cur Moreri adjiciam, ſcribentem tom. VI. pag. 1070. edit. Pariſ. MDCCXLIV. « Craſton » Jean Carme de Plaiſance. »

(247) Habes carmen illud lib. *Sylvarum* III. foll. 292. -- 294.

(248) » Caleſtanus mons ab Urbe Parmenſi ſexdecim mille paſſibus diſtat » ad flumen Parmam aſſurgens ſaluberrimo aere, atque loci amœnitate jucun- » diſſimus. » Inquit in hoc Mantuani diſtichon Joſeph Antonius Saxius (*Hiſtoria Literario-typographica Mediol.* col. CLXXII. ad an. M. CCCC. LXXV.) exſcriptus a N. Villiers *Bibliothecæ Carmel.* tom. I. col. 816.

(249) Lezana ad an. M. CCCC. XCV. n. 2.

(250) *Commentariorum* lib. III. pag. 110.

(251) » Unam petiam terræ, cum domo, curte, uno ſtallo a lignis, uno » podiolo, uno ambitu, ſeu anditu in contrata Griſonis, penes viam com- » munis. » uti ex MSS. Notariorum Franciſci Chiſolfi, & Joannis Baptiſtæ Venturi ſchedis tradit Carolus Vaghi, lib. *Commentariorum* III. pag. 201.

(*) Lege, ſi placet, Ant. Genuenſis procemium ad lib. *Lezioni di commercio* parte I.

Digitized by Google

quum Ludovicus Sfortia, cognomine Morus, Mediolanum pergens, anno ſequenti M. D. eos populos in ſuas partes faciles deprehendit, Urbemque illam ingreſſus eſt, Februario exeunte (252), quamvis non diu eam tenuit; menſe enim Aprili, in Gallorum manus iterum venere (253), eiſque præfecit Ludovicus Carolum de Ambaſia, atque, ut ex Ferronio Ludovicus a S. Tereſia (254) animadvertit, Jafredum Carolum, qui fuerat Delphinatus quondam Præſes. Hiſce igitur rerum circumſtantiis, Mantuanus N. carmen deduxit, quo ſubactas eas gentes, ut Gallis tandem acquieſcerent, adhortabatur (255), quodque laudato viro ampliſſimo Jafredo Carolo (256) nuncupavit, hiſque abſolvit verſibus:

Vos autem, Inſubres, animos componite, pactis
Indulgete. Bonis, quæ fert juſtiſſima tellus,
Quæ Deus impertit, ſancto ſub Rege, fruendum.

Anno, qui proxime eſt inſecutus M. D. I. coactis Novelariæ Generalibus Congregationis comitiis, conſcripti ejus PP. ad ſupremum ipſius regimen Auctorem N. quarto, aſſumpſerunt (257), quo functus Poeta N. anno D. M.D.III. quum Julii II. ex ſorore nepos Galeotus Franciottus (258), die XVIII. Novembris hujus anni, Vaticana purpura fuiſſet ab eodem Summo Pontifice decoratus, Eminentiſſimo huic Principi carmen ſacravit, quod ex Julii Summi Hierarchæ inſigne, quercu (259) nimirum, *Quercus Julia* inſcripſit (260).

Eo

(252) Muratori *Annali d' Italia* ad an. Chr. M. D.

(253) Idem, ibidem ex *Cronica di Venezia*, inter *Rerum Italicarum Scriptores* tom. XXI.

(254) Op. cit. chap. CCLVII. pag. 589.

(255) Extat illud opp. Mantuani tom. I. foliis 271. -- 281. hoc titulo *Exhortatio ad Inſubres*.

(256) Eum hic, uti & lib. *Sylvarum* IV. *Vicecancellarium* appellat.

(257) Lezana ad an. M. D. I. n. 3.

(258) Fleury contin. *Hiſt. Eccl.* liv. CXX. n. XXIX.

(259) Philippus Bonanni (*Numiſmata Pontificum Romanor.* tom. I. in Julio II. §. II. pag. m. 142.): ſcilicet Franciottus Julii II., a quo inter ejus familiæ viros fuerat cooptatus, & cognomen, & inſignia aſſumpſerat, inquit Ludovicus a S. Tereſia *La Succeſſion* chap. CCLVII. pag. 589.

(260) Tomo III. fol. 239. -- 242.

Digitized by Google

Eo quoque ſub tempore, ideſt anno circiter M. D. II. amiſit Auctor N. virum, ut Religionis vinculo, ita & peculiari neceſſitudine conjunctiſſimum Petrum Nebularium, cui ipſe neniam panxit, opp. tomo I. eam ſic auſpicatus:

Cor miſerum, curis non deficientibus umquam
Expoſitum . . . . (261)

Tum inde obitus illius epocham deſignat ſcribens (262):

Vixque quaterdenos vivendo exceſſerat annos;
Aſt ego, biſſenis cui caligantia luſtris
Lumina . . . .

Quæ tamen haud ſatis recte interpretatum Lezana, ſuperius (263), vidimus, qui idem narrat (264) digeſtam ante annos circiter XXVIII. a N. Mantuano pro Nebulario *Apologiam*, tribus libris comprehenſam (265), occaſione poſitionum aliquot, quas Petrus Nebularius, ſimul cum altero ejuſdem Congregationis alumno Juliano de Brixia (266), propalam adſeruerat, quaſque hæreſeos poſtulabant Theologorum nonnulli, ab ipſius Nebularii præceptore Mantuano viro in id genus rebus exercitatiſſimo ſtrenue confutati, atque repulſi, cujus conatibus ſe quoque adjungens Prior tunc Generalis Chriſtophorus Martignonus diploma obtinuit a fel. rec. Papa Sixto IV. (267), quo, quæ jam gravius effervescebat, contentio dirempta eſt (268), rumorque omnis

---

(261) Fol. 134. – 139.
(262) Fol. 136.
(263) Capite hujus vitæ V. nota 119.
(264) Ad an. M. CCCC. LXXIV. n. 4.
(265) Eos MSS. poſt Trithemium, Fabricium &c. appellat *Bibl. Carm.* tom. I. col. 232. Villiers.
(266) De quo Auguſtinus Biſcarretti (in *Palmitibus vineæ Carmeli* fol. 14.), Auguſtinus Oldoinus (*Athenæi Liguſtici* pag. 379.), aliique penes Villiers *Bibl. Carm.* tom. II. coll. 204. 205.
(267) XXIII. Auguſti M. CCCC. LXXVII. Incipit: *Sacer Ordo veſter.* Videſis *Bullarium Carmel.* tom. II pag. 353.
(268) Quid Nebularius, quid ſocii minus caute affirmarint nuſquam invenio; at gravis mihi ſuſpicio, dixerint illi non poſſe Deum, infinita ſua omni-

Digitized by Google

nis prudenter ſopitus. Quadriennio poſt, anno, inquam, M. D. VI. quum Summus Eccleſiæ Pontifex Julius II. Tyrannos Eccleſiæ finibus pellere eſſet adgreſſus, Peruſioque Joannem Paulum Baglione, Bononia Joannem Bentivoglio (269) expuliſſet, ſubque Eccleſiæ dominium Civitates illas reduxiſſet, ei, hiſce cauſis, gratulatur Baptiſta Mantuanus zelum ejus pro Dei gloria, Eccleſiæque pace laudans magnifice, atque extollens, *Præcinio*, quod ſic tomo II. fol. 236. auſpicatur:

Maxime Quercentum Princeps, & ſumme Sacerdos,
Qui jura, & leges divumque, hominumque gubernas
Enſe potens gemino, cujus veſtigia adorant
Cæſar, & aurato veſtiti murice Reges.
Non Italæ ſolum gentes; ſed tota per orbem
Sparſa tibi æternas grates Eccleſia ſolvit:
Nam, poſtquam in Petri ſolium te Roma levavit,
In decus antiquum, majeſtatemque vetuſtam
Publica res Chriſti tandem revocata, Tyrannis
Reſpirare poteſt, & ducere gaudia victis.

Quos duos poſtremos euchariſtici hujuſce carminis verſus appellat, Philippus Bonanni (270). Eodem quoque anno, Man-

potentia, ſemel damnatum hominem ſalvare, quod equidem, ſi de abſoluta omnipotentia interpretati ſunt, næ ii, toto, quod ajunt, cælo, aberrarunt. En autem quibus demum mea hæc nititur conjectura. Lego penes N. Ludovicum a S. Jacob *Biblioth. Pontiſ.* lib. I. pag. 204.) Sixtum IV., inter alia, ſcripſiſſe: « Contra errores cujuſdam Carmelitæ Bononienſis affirmantis Deum, » ſua omnipotentia, damnatum hominem ſalvare non poſſe. » Quod opus illud forte eſt a Daniele Papebrochio (*Propylei ad Acta SS. Maji*, ſeu *Conatus Chronico-hiſtorici* parte III. num. CCXVI. in Sixto IV. §. V.) citatum, ſummoque eidem Hierarchæ, uno hoc titulo, adſcriptum *De potentia Dei*. quod illi rurſus adjudicat (*Dictionnaire hiſtorique-critique* art. Sixte IV. Remarque I.) Petrus Bayle.

(269) Muratori (*Annali d' Italia* tomo X. an. M. D. VI.) Morem fortaſſe mutaverat Joannes Bentivolus, ut de eo expulſo gratularètur Mantuanus, quem ſuperioribus annis (lib. II. *De patientia* cap. XXIV.) *Virum præſtantiſſimum* appellarat, cui imo Auctor N. quoad Bononiæ moratus eſt, a conſiliis fuit, & a confeſſionibus, ceu habet, ex P. Felina, Carolus Vaghi (*Commentariorum* lib. II. pag. 105.).

(270) *Numiſmata Pontificum Romanorum* tomo I. in Julio II. §. XIII. pag. m. 152. Laudat rurſus carmen illud Andreas Victorelli ad Alphonſum Ciacconium (*Vitæ, & res geſtæ Pontificum Romanoram* in Julio II. tom. III. edit. Rom. in folio an. M. DC. LXXVII. col. 242. lit. F.).

Mantuanus N. excepit libens inſigne opus *Sermonum* Bononiæ excuſum, ac ſibi a Chalcographo Benedicto in perpetui obſequii argumentum (271) dicatum, quod compoſuerat Vir in Mantuana eadem Congregatione poeſeos laude, rhetorices vi, latinaque, & græca eruditione ſpectatiſſimus Baptiſta Panætius Ferrarienſis Herculi I. Ferrariæ Duci a ſecretis, & conſiliis, qui anno M. CCCC. LXXXV. Mantuano Vicarii munere, prima vice, defuncto Reveri ſuffectus fuerat (272), quique rurſus, ſecunda vice, Generalis Vicarii officio expeditus Mantuanum, tertia vice, Vicarium Generalem an. M. CCCC. XCV. habuit ſucceſſorem, & de quo Joannes Gerardus Voſſius (273), Joannes Albertus Fabricius, aliique admodum multi penes Ordinis N. inſignem, ac nobis ſæpe laudatum Bibliographum Patrem Villiers *Biblioth. Carmel.* tomo I. col. 217.

Sequenti anno M. D. VII. quinta vice, ad Vicarii Generalis munus iterum vocatus Pater ampliſſimus a ſuæ Congregationis Proceribus, in Capitulo generali Mutinæ celebrato, ut refert ad ipſum hunc (274) Chriſti annum eruditus Lezana; manebat ſcilicet Congregationis Patribus alta mente defixum Platonis monitum a Valerio Maximo (275), aliiſque commendatiſſimum: beatas fore ſocietates illas, quibus ſapientes viri præficerentur, laudeque Philoſophiæ ſpectabiles, aut quibus præfecti ſapientiam colerent, ac recte philoſopharentur, cujuſmodi certe, etſi plures tunc erant apud Mantuanæ Congregationis PP. haud dubium tamen, quin eſſet Hiſpanioli N. omnium facile princeps. Huic igitur, quinto, delatum Generalis Vicarii munus, quo adhuc, ſumma cum omnium laude, fungebatur, ſequenti anno M. D. VIII., quo Cameraci generalis contra Venetos diæta habita eſt, a pluribus Europæ Principibus, Pontificiſque

 Lega-

(271) Lucius (*Biblioth. Carmel.* fol. 8.), Joannes Alb. Fabricius (*Bibliotheca mediæ, & infimæ latinitatis* lib II:), alii.
(272) Lezana ad an. M. CCCC. LXXXV. n. 7.
(273) Lib. III. *De hiſtoricis latinis*. Adde cl. Tiraboſchi (*Storia della letteratura Italiana* tom. VI. parte II. lib. III. cap. VII. §. ult.)
(274) Tomo *Annalium Carmel.* IV. n. 7.
(275) Lib. VII. cap. I.

Legato Cardinali Georgio de Ambaſia (276), qui, anno proximo, Pontificia quoque ope adjuti in Rem illorum publicam ſigna tulerunt, id, quod, cum hiſtoricis aliis bene multis Spondano, N. Paulo Clerici, Guicciardini, Muratori, aliis, deſcribit, Vicarii licet munere occupatus, Auctor N. non equidem, citato nuper ad Julium II. *Præcinio*, ut immerito viſum Lezana (277), ſed, ut Ludovicus a S. Tereſia (278), ac P. Villiers (279) conſtituunt, carmine, quod *Bellum Venetum* (280) prænotavit. Quantum in eo conſcriben-

(276) Muratori *Annali d' Italia* tomo X. ad an. M. D. VIII. Factum hinc, ut, quod infra laudabimus, Mantuani *De bello Veneto* carmen cum aliquando titulum ſortitum ſit: *Baptiſtæ Carmelitæ hiſtoria belli Cameracenſis carmine hexametro enarrata*, quo titulo, carmen illud Poetæ N. memorat inter Venetarum rerum Scriptores (*Lettere* vol. II. lett. LXXVII. pag. 156.) Apoſtolus Zeno.

(277) Ad an. M. D. IX. n. 1.

(278) Op. cit. chap. CCLVII. pag. 589.

(279) *Biblioth. Carmel.* tom. I. col. 233.

(280) In ea tamen, qua utimur, Cuperi editione, tomo I. fol. 245. ita inſcribitur carmen illud: *Commentariolus de bello Veneto anni* CIϽIϽ., poſito videlicet numero rotundo; hoc enim anno, ullum Venetos inter, genteſque alias Chriſtianas bellum efferbuiſſe ex hiſtoricis plane non conſtat: quinimo hæc habet apertiſſima verba clariſſimum Italiæ decus Muratori (*Annali d' Italia* tomo X. an. M. D. I. ſub finem): « Trovavaſi allora la Veneta Repubblica in » non pochi affanni per la guerra col Turco, il quale ogni di piu inſolen- » tiva, e non meno in Grecia, che in Ungheria ſempre più s' ingrandiva » alle ſpeſe de' Criſtiani: Eraſi ben fatta lega fra eſſa Repubblica, il Papa, » i Re di Francia, Aragona, ed Inghilterra, e con altri Sovrani contro quel » comune nemico &c. » Cæterum, quum bellum hoc illud demum ſit, ad quod ineundum Europæ Principes adverſus Venetos condixerant, anno, ut vidimus, M. D. VIII., id autem non obſcure indigitet Vates N. ſub laudati Commentarioli initio, res jam adverſus Lezana confecta videtur. En Poetæ verſus.

Magnanimus Rex Gallorum jam fœdere functus,
Quo Marco connexus erat, Germanica contra
Regna, novis Venetum vires contundere, & auſus
Aggreditur bellis, & init cum Cæſare pacem.
Conſpirant in fœdus idem Burgundia, Arago,
Roma Sacerdotum domus inclyta, Tuſcus, & Umber,
Picentes, & Flaminii, Ligur, Inſuber, Alpes,
Helvetii genus armipotens, Ferraria, Manto.

Carmen hoc dicatum a Mantuano fuiſſe laudato olim Carolo Jafredo ex continua, qua, toto hoc carmine, eum alloquitur, apoſtrophe ſatis nitide conſtare putarim. Sic ait fol. 245.

Maxime vir Jafrede, tuum largire favorem. . . . .

ſcribendo & temporis Auctor N., & operæ impenderit haud plane invenio, ut neque invenio aliud quidquam fuiſſe ab ipſo elucubratum, ante annum circiter M. D. XI. quo, quum, impenſis Reverendiſſimi Patris Petri Terraſſe Ordinis tunc Generalis, ederentur Mediolani Reſoluti Doctoris N. in *Sententiarum* libros commentarii, opera nimirum, ac ſtudio Joannis Stephani de Baſſignana (281), in eumdem Bacconem epigramma editioni illi præfigendum Mantuanus deduxit (282), qui, eo etiam ſub tempore, digeſſit (283) ſæpe nobis laudatam *Vitæ ſuæ Epitomen*. Interim non illud hic omittendum, quod, quum cit. anno M. D. XI. Mutinæ coacta ſint Congregationis comitia (Vaghi *commentar.* lib. II. pag. 116.), Eminentiſſimus Ordinis protector Sigiſmundus Gonzaga, literis ſuis Mantuæ, die VI. Maji ejuſdem anni, datis: « Singulis Fratribus capituli celebrandi Mutinæ in Con- » ventu N. mandat, ut recipiant, & audiant Magiſtrum » Baptiſtam Hiſpaniolum in dicto capitulo ejus nomine. » Extat harum literarum autographum ſigillo cereo munitum in papyro illius Conventus, quemadmodum eruitur etiam ex Tranſpontinæ archivio, in tabulario Ordinis, *Plut.* II. tit. *Congr.*

 CAPUT XI.

Folio 250.

Tu vero, Jafrede, licet non geſſeris arma.

Verſu demum, qui a poſtremo eſt tertius, fol. 271.

Si, Jafrede, notes quo res pervaſerit . . . .

(281) *Biblioth. Carm.* tom. II. coll. 108. 607.
(282) Refert illud Villiers *Biblioth. Carm.* tom. I. col. 752.
(283) Colligitur id ex ipſius *Epitomes* diſt. 2. & 3.

Iſtius accepi lucis primordia, quintus
 In ſolio Petri, quum Nicolaus erat.
Nunc in puppe ſedet rector, qui nonus ab illo eſt,
 Julius & pacem doctus, & arma ſenex.

Etſi vero hæc vel de ineunte Julii Pontificatu exponi commode poſſent, quippe inauguratus eſt, anno ætatis LXI. quum tamen, eo anno MDIII. Mantuanus annum ageret LV., a quo bis adhuc Congregationis Vicarius electus eſt, ſupremuſque inde creatus univerſi Ordinis Prior, videtur nonniſi ad aliquot poſt annos revocanda illa *Vitæ ſuæ Epitome*, cujus diſticho 20. ait:

Ad ſenium veni, ſtadium vitale cucurri,
 Et fero jamdudum, pro pugione, rudem.

CAPUT XI.

SUPREMUS ELIGITUR UNIVERSI ORDINIS PRÆSUL.

ANNO M. D. XIII. electus eſt, ſexta nimirum (284) vice, Generalis ſuæ Congregationis Vicarius in comitiis Ferrariæ coactis (285), quo eodem anno « Dum Romæ ſub no- » vo Pontifice Leone X. ſacri Concilii Lateranenſis V. con- » tinuatur celebratio a Julio II. præcedenti anno, incœpta, » in eadem alma Urbe, atque in S. Martini ad Montes » cœnobio generale capitulum Noſter celebrat Ordo illuc » a novo Pontifice translatum, ubi præſidente Cardinale Si- » giſmundo Gonzaga Ordinis protectore, in vigilia SS. Tri- » nitatis, Supremus Ordinis Moderator Joannes Baptiſta Hi- » ſpaniolus, ſeu Mantuanus, etſi abſens creatus eſt. » Inquit ex *Papyro Ordinis* Ventimiglia (286), cui accinit Lezana (287), addens electum illum *ab omnibus, duobus exceptis*, ut merito *a communi voti aſſunto* dicere eum potuerit

(284) Sexta, inquam, atque poſtrema; neque enim, niſi errore, ſcribit Petrus Niceron (*Mémoires &c.* tom. XXVII. pag. m. 108.), fuiſſe Mantuanum Congregationis ſuæ ſepties Vicarium.

(285) An Ferrariæ, an alibi hæret Lezana, aitque, *ut creditur* (tom. *Annal.* IV. ad an. M. D. XIII. n. 2.). P. Villiers ſcribit *Ferrariæ* (*Biblioth. Carmel.* tom. I. col. 217.). *Ferrariæ* quoque Carolus Vaghi (*Commentariorum* lib. II. pag. 117.) &c.

(286) *Hiſtoria chronologica Priorum Generalium* ad an. M D. XIII. Quum vero Trinitatis feſtum occurrerit, eo anno, die XXIII. Maji, patet, die XXII. ejuſdem menſis, ut ait Vaghi (*Commentariorum* lib. I. pag. 64.), electum illum fuiſſe Ordinis univerſi Generalem Priorem.

(287) Loco nuper cit. Eo in capitulo, Scotiæ, ac Tholoſæ Provinciales, uti & Pariſiorum, & Romanæ curiæ Priores Generalis Hiſpanioli arbitrio, ac voluntati relictos ſcribit (loco nuper cit. ſequenti pag. 65.) Carolus Vaghi.

tuerit, alio loco, Ventimiglia (288). Fuit igitur in latina Generalium Priorum ſerie octavus ſupra vigeſimum, ut notat (289) Ludovicus a S. Tereſia, ni-malis dicere illum, cum Ventimiglia (290), primum ſupra trigeſimum, tribus ſcilicet annumeratis Generalibus Ordinis Vicariis, Natali Benceſi inter Bartholomæum Racoli XXII. Generalem Ordinis Priorem, & XXIII. Joannem Faci: rurſus Gulielmo de Quercu a XXV. Chriſtophoro Martignono ad XXVI. Pontium Raynaudum, atque ab hoc ad XXVII. Petrum Teraſſe Marco Recluſio. Jamvero « quæ pius hic Prior, pro » ſibi commiſſi gregis conſervatione, geſſerit quis enarrare » poterit? » inquit poſt Lezana P. Villiers (291). Nedum ſtatuta quædam iis rerum circumſtantiis aptiſſima, ſanctioneſque communi Ordinis bono maxime idoneas optimus gregis paſtor edidit, ſi Petro Thomæ Saraceno fides (292); ſed verbo inſuper, & exemplo, quibus præerat, prodeſſe curabat: nemini deerat N. hic, non urbis dixerim, ſed orbis (293) totius civis: neminem, quem ope ſua ad colenda impenſius ſtudia, pietatiſque exercitiis incumbendum indigere conſpiceret, non conſiliis, non propoſitis prœmiis, non toto, quod ajunt, pectore, induſtriaque fovebat: omnibus præſto erat, ſodalibus præſertim, quos omnes amantiſſimus pater diligebat ut filios, omnes, ut viros Deo ſacros, humillimus (294) præſul colebat; ut mirari haud ſubeat, nullum pene fuiſſe obſequii, nullum exiſtimationis, ac reverentiæ

---

(288) *Il ſacro Carmelo Italiano* lib. II. cap. II. §. IV.
(299) Chap. CCLIV. pag. 580.
(290) Cit. *Hiſtor. chronol. Priorum Gen.*
(291) *Biblioth. Carmel.* tom. I. col. 217.
(292) *Menologii Carmelitarum* parte II. pag. 394.
(293) Ut ajebat de ſe, penes Plutarchum (*De exilio* pag. m. 600.) magnus ille Philoſophus Socrates.

(294) Illud memoriæ proditum eſt, ſueviſſe Mantuanum Davidis hoc comma identidem ingeminare: *Ego ſum vermis, & non homo*, quo ſe referens, in ſuo *Muſæo*, P. Felina ſic illum jam vita functum de ſe loquentem inducit:

Me reputo vermem; ſed fundit corpus odores.
Balſama virtutum non timuere necem.

Conferatur & Vaghi (lib. *Commentariorum* II. pag. 117.).

ſiæ argumentum, quod ultro illi non detulerint ejuſdem Ordinis PP. imo nec ullum amicitiæ ſignum, quod non ei exhibuerint viri ſpectatiſſimi ab Ordine ipſo extranei, qui, ut & Carmelitæ omnes, merito id de eo aſſerere potuiſſent, quod olim eſt de Trajano Imperatore a Plinio dictum (295): » Habes amicos, quia amicus ipſe es: neque enim, ut alia » ſubjectis, ita amor imperatur: neque eſt ullus affectus tam » erectus, & liber, & dominationis impatiens, nec, qui » magis vices exigat. Poteſt fortaſſe Princeps inique, po- » teſt tamen odio eſſe nonnullis, etiamſi ipſe non oderit; » amari, niſi ipſe amet, non poteſt. Diligis ergo, quum » diligaris, & in eo, quod utrique honeſtiſſimum eſt, tota » gloria tua eſt, qui ſuperior factus deſcendis in omnia fa- » miliaritatis officia. » Quamquam nec formidabat hominum vultus, ubi res Ordinis publica ſic videretur exigere. Appello utriuſque rei teſtes Piſtorienſes Ordinis N. PP., quorum Carmelum Vexilliferi, aliorumque iſtius (296) Urbis Procerum poſtulationibus annuens, ſumma dexteritate, ac prudentia, reformavit, quemadmodum ante jam reformaverat Mediolanenſis Carmeli ad Comenſem Portam alumnos, poſtulante D. Carolo de Clairmont Generali pro Rege Galliarum in Italia Tenente: unde & conceſſum Congregationi Piſtorii cœnobium a fel. rec. Leone X. Bulla, quæ incipit (297): *Licet alias dilectus filius Magiſter Baptiſta*. Reliquos autem Conventuum aliorum PP. ſuperiores potiſſimum, qua valebat, induſtria, quibus poterat mediis, ope, & conſilio regebat, ac ſuaviter moderabatur, idque non eo, quo frequenter peccatur, partium ſtudio, non ea, quæ ſocietates haud raro pertubat, injuſta perſonarum acceptione: ſed uno Religionis zelo, fovendæque pietatis amore, quo ultro etiam, libenterque, dum licuit, » Ordi-

(295) *Panegyri* pag. m. 157.

(296) Carolus Vaghi (*Commentariorum* lib. II. pag. 118.) ex tabulis MSS. Petri Uſimbaldi Cancellarii Piſtorii, ſub die XIII. Februarii, an. M. D. XIV. Villiers *Biblioth. Carmel.* tom I. col. 218.

(297) Non XXIV. Maji, uti ſcribit (ad annum M. D. XIV. n. 8.) Lezana, ſed, ut notatum in Bullario Carmelitano (tom. I. pag. 453.), XV. Novembris M. D. XIV.

» Ordinis Congregationibus nedum Mantuanæ, cujus ipſe » alumnus; ſed & Albienſi nuper emergenti opem ferebat » uti ſcribit Villiers (298), ac ante ipſum citatus ſæpe Lezana (299), cui & illud notatum eſt, Congregationis Albienſis Patres, vix abſoluto anni M. D. XIII. generali capitulo, Regis Galliarum Ludovici XII. commendatione, ac Generalis Hiſpanioli zelo, & auctoritate fretos Congregationis ſuæ approbationem, atque confirmationem a Summo Pontifice Leone X. impetraſſe; quinimo & privilegia omnia obtinuiſſe, omnes exemptiones, & gratias, quibus Mantuana gaudebat, Bulla, eodem anno M. D. XIII. emiſſa (300): *Dum fructus*. Nihil igitur omiſſum Viro optimo, quod Religioni impenſius colendæ, fovendæque altius pietati conduceret, veſtigia nimirum inſiſtenti magni quondam Generalis Prioris Joannis Soreth, cujus olim funus, anno circiter M. CCCC. LXXII. carmine decorarat (301). Hinc etiam, quia, ut habet, poſt Lezana (302), Villiers (303): « Quia in capitulo Romæ, anno M. D. XIII. congregato, ſtatutum » erat, ut Provinciales per ſexennium in Provincialatu gerendo permanerent, credens hoc Fratrum, & domorum » Ordinis ſtatui proſpero in ſpiritualibus, & temporalibus » adverſari a Summo Pontifice Leone X. Breve impetravit, » quo decernitur, ut ex tunc in perpetuum Provinciales ad » triennium duntaxat eligi, & deputari deberent. Quod » quidem Breve Sigiſmundo S. Mariæ Novæ Diacono Cardinali Mantuano, & Bernardino de Senis Vicario Generali, nonniſi poſt mortem N. Baptiſtæ Spagnoli Mantuani, datum eſt, die XXII. Martii M. D. XVII. » (304). Sed

---

(298) *Bibl. Carm.* tom. I. col. 218.

(299) Ad an. MDXIII. n. 6.

De ea Congregatione adeatur, ſi libet, Lezana tomo *Annal.* IV. ad an. Chriſti M. D. n. 3., M. D. I. n. 3., M. D. V. n. 2., & Villiers *Biblioth. Carm.* tom. II. coll. 289. 605.

(301) Opp. tom. I. fol. 143. -- 147.

(302) Ad annum M. D. XIV. n. 3.

(303) *Bibl. Carmel.* tom. I. col. 218.

(304) Breve illud, cujus hoc initium: *Dudum pro parte quondam Baptiſtæ Mantuani*, reperias *Bullar. Carm.* tomo I. pag. 463.

Sed & alio quoque nomine, univerſum, cui præerat, Ordinem ſibi devinxit Pater vigilantiſſimus, curans nimirum, ut, quæ in ritus noſtri Miſſalibus emendanda, atque addenda occurrebant, ſpectatiſſimus e cœtu N. Vir, ac Provinciæ Venetæ quondam Præfectus Joannes Baptiſta Cataneus corrigeret, atque ordinaret, qui adeo Miſſale a ſe emendatum, ejuſdem Generalis juſſu, Lugduni edidit in folio, anno M. D. XVI. *ſi fidem dabis Ludovico Jacob in ſua Bibliotheca Carmelit. MS. pag.* 189. inquit, qui bibliographica ejus ſtudia glorioſe æmulatus eſt, laboreſque Herculeos proſecutus P. Villiers (305).

Sub hiſce diebus, grave & illud exhibuit magnanimitatis argumentum Auctor N. quod, quum ingentem illi pecuniæ vim Mantuæ Princeps Ludovicus dono miſiſſet, ut illam in ſui, ac ſucceſſorum annuum cenſum converteret, hanc ipſe eorum ſatis memor, quæ *de inſtabilitate divitiarum*, de illarum *inſatiabilitate*, ac *ſollicitudine* (306) etiamnum adole-

(305) *Biblioth. Carmel.* tomo I. col. 216.
Indicatum hic a Ludovico Jacob Miſſale reperire, quantumvis allaboraverim, non potui. At enim inter perantiqua N. Ordinis Miſſalia, quæ ſervat Taurinenſis hujus N. Carmeli Bibliotheca, alterum extat Venetiis editum apud Lucam Antonium de Giunta anno M. D. IX. Idibus Januarii in 8., cujus folio cclxxxviii, quod ab ultimo eſt quintum, hæc lego: « Explicit miſſale ſecundum ordinem fratrum glorioſiſſimæ dei genitricis, ſemperque virginis » mariæ de monte carmello: per venerabilem ſacre theologie magiſtrum » fratrem baptiſtam venetum de cathaneis ejuſdem ſacri ordinis: magna » cum diligentia emendatum. Quod impenſa ſua, ac ſolerti cura Lucaſantonius de giunta florentinus in Venetorum civitate florentiſſima impreſſit. » Anno natalis domini M. D. IX. idibus januarii. » Quæ, quum anteaquam Mantuanus ſupremus renuntiaretur univerſi Ordinis Prior, evenerint, jam illud exin efficias, non utique illius juſſu primum ſuſceptam a Cataneo Miſſalis correctionem; quamvis Mantuani fortaſſis nutibus, novis, iiſque plurimis additionibus auctum, novaque adhibita cura, ab eodem Cataneo emendatum illud eſt, quod & apud nos habemus in folio, & ad cujus calcem hæc legimus: « Miſſale ſecundum ordinem fratrum carmelitarum cum omnibus re» quiſitis & cum cernentibus formam miſſalis ipſius ordinis nec non & » aliis multis ſuperadditis ad oportunitatem temporum & locorum fratrum» que & ſecularium devotionem quæ ex diverſis locis autenticis habi» ta ſunt ſtudioſiſſime reviſum correctum & emendatum in clariſſima vene» tiarum urbe per reverendum ſacre theologie magiſtrum baptiſtam vene» tum de cathaneis ejuſdem ſacri ordinis: arte, & impenſis luce antonii » de giunta florentini diligentiſſimi impreſſum feliciter explicit anno domini » 1514. pridie cal. ſeptembris. »

(306) *De vita beata* tom. IV. pag. 201. 202. 203. &c,

Digitized by Google

adoleſcens ſcripſerat, liberaliter recuſavit, quod ægre ferens Princeps ille munificentiſſimus egit rurſus apud eumdem Mantuanum, ut portionem ſaltem aliquam ultro reciperet: quapropter, ne iterato recuſans inurbanus audiret, arbitratus gratum ſe Gonzaga Principi facturum, ſi, quam ab eo ſuſcepiſſet, pecuniam, in Carmelitarum eidem nobiliſſimo Principi ſubditorum utilitatem, & commodum inſumeret, Mantuani cœnobii ſui alumnos percontatus eſt, quid tunc potiſſimum religioſæ eorum domui neceſſarium videretur, a quibus quum id habuiſſet reſponſi, futurum utile plane, ac congruum omnino, ſi in urbis vicinia, laxandis ſodalium animis, puriorique aeri fruendo villatica domus excitaretur, ea pecuniæ vi aſſumpta, quæ ad id operis ſufficere poſſet, quod reliquum ſuperfluit, ad Principem officioſiſſimum humillimas ei dicens gratiarum actiones remiſit, domo prope urbem extructa *San Pietro d' Ungheria* dicta (307), ad quam Carmelitæ ſui, honeſtæ recreationis, æquiſſimique ſolatii nomine, quum per tempus liceret, ſecederent. Sed & Mantuanæ ejuſdem Congregationis PP. in Conventu S. Barnabæ civitatis Florentiæ degentes magnam fortaſſis Generali N. debent gratiam; facile enim crediderim, nonniſi illo potiſſimum agente, a Summo Pontifice Leone X. Bullam obtinuiſſe: qua, anno M. D. XIV. die XXVIII. Maji indulgentias conceſſit « porrigentibus manus adjutrices pro reparatione Eccleſiæ, & Conventus S. Barnabæ (308) ».

---

(307) Joannes Maria Penſa (« Teatro degli uomini più illuſtri della famiglia Carmelitana di Mantova » pag. 54.), Ludovicus a S. Tereſia (chap. CCLVIII. pag. 590.), Maffei (*Annali di Mantova* lib. XI. cap. VI. pag. 847.) &c. Neſcio interim ecquid cauſæ fuerit, cur ſcriberet Penſa (pag. 55.) acquiſitam Mantuanis PP. hanc villam, anno M. CCCC. LXXXVII.

(308) Joſeph Alb. Ximenes *Bullar. Carm.* tomo III. pag. 205.

CAPUT XII.

QUÆ ALIA PRÆCLARE GESSIT SUPREMA HAC DIGNITATE POTITUS.

ETsi grave ſatis videri poterat onus, quod, voto omnium communi, ſuſceperat; etſi, ut vel ex narratis liquet, ſummo ſtudio, ac paterna plane ſollicitudine, munere hoc ſuo fungi conabatur; haud tamen paſſus omnem dilabi occaſionem, qua conſuetis ſtudiis apponeret animum, varia paſſim carmina, diverſa idemtidem poemata conficiebat, quæ inſignibus illius ævi proceribus dicavit. Sic Eminentiſſimo Eccleſiæ Principi Laurentio Puccio Cardinalium albo, XXIII. Septembris M. D. XIII. adſcripto (309) D. Blaſii vitam, duobus libris, carmine epico digeſtam obtulit (310). Tres libros, heroico pariter carmine, conſcriptos Nicolai Tolentinatis geſta proſecutus eos Joanni cuidam Tolentinati, Equiti aurato nuncupavit (311). Inſcripſit quoque viro ſibi amiciſſimo, ac nobis ante laudato Carolo Jafredo olim Delphinatus Præſidi, ac Mediolani tunc Vice-Cancellario Dionyſii Areopagitæ converſionem, vitam, & agonem, libris tribus, enarrata, quæ illico Jafredus Reverendiſſimo D.

(309) De quo ex Ciacconio, & Aubery Claudii Fleury continuator *Hiſt. Eccl.* liv. CXXIII. n. CI.

(310) Opp. tom. I. fol. 179. — 205. Aut aliud aliquod Mantuani carmen reſpiciebat, aut, Joannis Baptiſtæ nomine, alium a noſtro ſubaudivit, aut egregie prorſus hallucinatus eſt Stephanus Maria Fabrucci, quum inter eos, qui Laurentii Pucci laudes, fuſiori calamo, perſecuti ſunt, Joannem Baptiſtam Mantuanum appellat, *Elogiis clariſſimorum virorum, qui Piſanæ Academiæ lucem addidere* opuſculi VI. parte altera. (penes Calogerà *Raccolta d' opuſculi* tomo XL. pag. 102.)

(311) Ibidem fol. 205. — 245. Eam vitam Auguſtinienſes PP. iterum, atque iterum, privatis ſumptibus, excuderunt: velut Romæ an. MDCX ſtudio P. Jacobi Alberici. Rurſus Antuerpiæ curante Cornelio Curtio, quam editionem appellat cl. Berti *De rebus geſtis S. Auguſtini* cap. XLII.

D. Stephano Poncher Pariſienſi (312) Epiſcopo conſecravit (313). Scriptus inde a Poeta N. heroico itidem carmine, Georgius, viroque excellentiſſimo Jacobo Trivultio Marchioni Vigevani, ac magno Galliæ Polermacho (314) dicatus, anno, circiter, M. D. VII., ſaltem ſi Ludovico a S. Tereſia fides (315), a quo diſcedens Villiers, tribus annis ſerius opus illud collocat (316), anno M. D. X., videlicet non id plane certum, uti nec certum omninò, quo demum tempore, modulatus ſit Joannem Baptiſtam (317), quove ſuum, metro ſapphico, cecinerit Albertum (318). Sed &

 opus

(312) Conferantur de præclaro hoc Pariſienſi antiſtite Sammarthani (*Gallia Chriſtiana* tom. I. in *Epiſcopis Pariſienſibus* §. 102. ad an. Ch. M. D. VI. pag. 460. edit Pariſ. in fol. M. DC. LVI.), qui (ibidem n. I. pag. 400.) ex Launoy, aliiſque animadvertunt, Dionyſium Pariſienſem immerito cum Areopagita confundi, ceu & ipſe rem, quod Poetarum eſſe ſolet, non nimis attente ſcrutatus, receptamque apud multos traditionem ſecutus Mantuanus, hoc carmine, adſtruebat. Quamquam nec, ſi rem mature ab illo expenſam diceremus, ſequeretur debuiſſe illum ea, quam amplexus eſt, opinione diſcedere, quum tueantur illam etiamnum critici ſatis celebres, laudati eam in rem ab Honorato a S. Maria (*Reflexions ſur les regles* &c. tom. I. diſſ. VI. art. V. §. III. pag. 207.), quibus ultro aſſentitur Petrus Halloix queſt. I. in ſcriptam a ſe ejuſdem S. Dionyſii vitam, cujus etiam vitæ cap. I. in notis, hoc Mantuani carmen appellat (tom. II. opp. ejuſdem S. Doctoris pag. 260. G - L. edit. Balthaſſarris Corderii, Antuerpiæ MDCXXXIV. in fol.).

(313) Tomo II. opp. Mantuani foll. 160. 161., a quo aduſque fol. 200. Dionyſii acta cenſentur, ubi tamen, quum Jaſredus Mantuanum ſupremum Ordinis Moderatorem haudquaquam appellet, tantula mihi ſuſpicio eſt, ne alio fortaſſis tempore, carmen hoc ab Auctore N. fuerit conſcriptum, anno, inquam, M. D. IX. circiter, veluti habet, Mantuani operum Chronotaxi, P. Villiers (*Biblioth.* tom. I. col. 233.); quamquam inter opera ab eo, generalatus tempore, abſoluta iſtud quoque revocare videtur Ludovicus a S. Tereſia (*La ſucceſſion* &c. ch. CCLVIII. pag. 590.).

(314) Trivultii eam dignitatem meminit Muratori *Annali d' Italia* tom. X. an. M. D. XI.

(315) Cit. op. chap. CCLVIII. pag. 590.

(316) *Biblioth. Carmel.* tom. I. col. 233.

(317) Tomo opp. II foll. 229. 230. Quod ſic auſpicatur:

Agnifer æterna juvenis digniſſime vita,
Ante Deum præco, Lucifer ante diem.

(318) Opp. tomo II. fol. 231. -- 233., cui hoc initium:

Menſis Auguſti redeunt honores.

qui D. Alberti hymnus in Breviarium noſtrum, correctione aliqua adhibita, relatus eſt, laudatuſque a Bollandianis Biographis, tom. II. die VII. Auguſti

Digitized by Google

opus eſt hiſce omnibus carminibus longe nobilius, ea tempeſtate, a Poeta cl. abſolutum, XII. ſcilicet *Faſtorum* libri, quod regnanti, per id temporis, Summo Chriſtiani orbis Hierarchæ Leoni X. conſecravit, ubi, menſe Aprili, quo loco *De SS. Leonibus* ingerit ſermonem, Mecœnatem ſuum, meditato eo carmine, celebrat (319), quod incipit:

Nunc Decimus Leo Tyrrhena de gente . . . . . .

Huic

---

§. IV. n. 28. commentarii prævii in vitam S. Alberti, quo etiam loci, Mantuanum N. *Virum* appellant *undecumque celeberrimum*. Eum vero hymnum liceat fortaſſis ſuſpicari a Poeta N. anno M. CCCC. LXXVI. concinnatum, quo videlicet, prid. Kal. Junias. Summus Eccleſiæ Pontifex Sixtus IV. Bulla *Cæleſtis aulæ &c.* edita, approbavit, ratam habuit, Apoſtolicaque auctoritate, atque ex certa ſcientia confirmavit conceſſionem a Calliſto III. vivæ vocis oraculo, anno M. CCCC. LVII. factam, qua cultum D. Alberto Carmelitæ publice in Eccleſiis quibuſcumque exhiberi permiſit. Confer Ventimiglia (*hiſt. chronol.* ad an. 1476.), Bollandianos (cit. loco §. I.) &c. Hic tamen, anteaquam ad alia progrediar, ea elevanda eſt nonnullorum conjectura, qui, quod legant proprium D. Alberti officium, anno circiter M. CCCC. XI. concinnatum, uti Lezana, aliique obſervant, ſuſpicantur idcirco, aut dici ſaltem poſſe putant, *Hymnos illos Baptiſtæ Mantuano tribui, licet ab alio, longe ante ipſum, fuerint compoſiti*. Ita (*Biblioth. Carmel.* tom. II. litt. S. N. LXV. col. 748.) Villiers; at non id perſpecte, nec merito: ut enim ſileam omnium pene ſcriptorum ſenſum ei, hac in re, adverſari, non ſatis intelligo potuerit hymnus ille, Mantuano adhuc ſuperſtite, ejus nomine, in lucem emitti, ni fuiſſet ab eo reipſa lucubratus, quum præſertim hic primum titulus hymno illi ſit adpoſitus (V. edit. Bonon. M. D. II. fol. CX.): *Baptiſtæ Mantuani Carmelitæ, Theologi, in Divi Alberti nativitate, hymnus pro reſtituta ſalute votum*. Ad hæc nonnihili faciendus videtur, qui, toto hoc hymno, ſe prodit, ipſiſſimus Auctoris N. ſtilus, veluti ex mutua ejuſdem cum ſapphico alio *ad Falconen*, aut epico in D. Albertum (lib. *Faſtorum* VIII.) collatione facile quis deprehendit. Cæterum neque erit, cur nos multum commoveat adlata ab adverſariis conjectura: utcumque enim vetus fuerit antiphonarum, quæ modo recitantur, ac eorum, quæ nunc leguntur, reſponſoriorum uſus; hymni tamen, quos ipſi canimus, nonniſi poſt annum M. D. XLIV. in N. O. Breviaria ſunt relati: ſiquidem *Ordinale divinorum officiorum ſacræ Religionis Carmelitarum decreto Capituli generaliſſimi celebrati Paduæ* 1532. &c. juſſu P. Gen. Nicolai Audeth Venetiis editum M. D. XLIV. apud Nicolaum de Baſcarinis, folio 91. verſo, pro die S. Alberti, matutinis horis hymnum adſignat: *Hic pius prudens*. Ad laudes hymnum: *Jeſu Redemptor*. Ad utraſque veſperas: *Adeſt natalis*. Hinc, qui primus de inſerendo Breviariis Mantuani hymno cogitavit, eſt is fortaſſe Audethi ſucceſſor Joannes Baptiſta de Rubeis, cujus mandato Breviarium prodiit Venetiis apud Lucam Antonium Giunta in 8., anno M. D. LXVIII., cujus exemplare habemus præ manibus, &, in quo laudatos Mantuani hymnos conſpeximus, licet ſuppreſſo cl. Vatis nomine, quod, non ita multo poſt, adſcribi cœptum: ſic (antiquiora non vidi) Breviaria, quæ edi curavit P. Gen. Henricus Silvius, Baptiſtæ Mantuani nomen præſeferunt.

(319) Tom. opp. II. fol. 287. Id, hoc loco, animadvertendum, in Mantuani operum chronotaxi, S. Honoratii Arelatenſis antiſtitis vitam, quam,

Digitized by Google

Huic Summo Eccleſiæ Præſuli quum eſſet Mantuani inſignis pietas, atque in gerendis rebus dexteritas ſatis perſpecta, fuit ei idcirco valde ſemper acceptus, atque ab eo nedum inter Lateranenſis V. Concilii Patres adſcitus (320); verum & ad gravia alia paſſim munia adhibitus. Ea inter perhonorificum illud, quod « Apoſtolicus Legatus miſſus eſt ad » pacem inter Franciſcum Galliarum Regem, & Medio- » lani Ducem conciliandam, Apoſtolicis Litteris diei XIII. » Julii, anno M. D. XV., ut ex Bibliotheca Urbini Ducis » patet, quæ in Vaticana adſervatur. Codice ſignato M. D. » XII. pag. 40. » Uti poſt Patrem Villiers (321), adnotat Ventimiglia. Ea legatione, felici omine (322), perfunctus fortaſſis

citata ſæpe Antuerpienſi editione, habes, nulla peculiari nuncupatoria præfixa, tomo II. menſe Januarii foll. 256. 257. Auguſtino Grimaldi Epiſcopo Graſſenſi, non vero Leoni X., ut reliqui *Faſtorum* libri, fuiſſe ab Auctore inſcriptam; quum enim nonniſi, an. M. D. XV. exeunte, vel ineunte M.D.XVI., qui fuit ipſi ſupremus, eam, poſt reliquos *Faſtorum* libros, abſolverit, arbitratus eſt, non poſſe illam *Faſtorum* libris aliis, alterius auſpicio editis inſeri, uti inſeri vix equidem potuit; ſcilicet ad *Faſtorum* calcem rejecta eſt poſt D. Sylveſtrum, ſed ante epilogum, in Lugdunenſi ejuſdem anni M. D. XVI. editione. Quod & poſt Ludovicum a S. Tereſia (ch. CCLVIII. pag. 590.), adnotatum Patri Villiers (*Bibl.* tom. I. col. 234.). Aſt vero, ut monebam, in Antuerpienſi editione, ſuo loco repoſita eſt inter vitas reliquas Leoni X. nuncupatas.

(320) Quum ex nota 286. electus fuerit Generalis Ordinis Prior, anno reparatæ ſalutis M. D. XIII. XXII. Maii, patet eum etiam alterum fuiſſe ex iis, quos Leo X. eodem anno M. D. XIII. die III. Junii, ultra prælatos a Congregatione deputatos, elegit, qui intereſſe deberent particularibus ejuſdem Lateranenſis V. Concilii Congregationibus; nam eos inter cenſetur etiam *Reverendus Dominus Generalis Carmelitarum*. Apud Philippum Labbe, & Gabrielem Coſſart (*Conciliorum* tomo XIX. col. 797. Venet. edit. in folio MDCCXXXII.).

(321) *Bibl. Carm.* tomo I. col. 240., Ventimiglia in Auctoris N. vita pag. 167. ubi tamen codicis illius non 40., ſed 4. paginam, typographi, ut puto, errore, appellat, quamvis omnino eſt 40.

(322) Uti ſaltem conjicimus: inita enim exinde pax, atque percuſſum inter utrumque Principem amicitiæ fœdus, ceu liquet ex Franciſci I. Galliarum Regis ad Mediolani Ducem Maximilianum Sfortiam epiſtolis a Joanne Chriſtiano Lunig (*Codex Italiæ diplomaticus* tomo I. edit. Francofurt, & Lipſ. an. M. DCC. XXV. parte I. ſect. II. claſſe I.) relatis, quarum prima, quæ ordine eſt XLIV. (ibidem col. 523.) gallice ſcripta, latine tamen ſic prænotatur: » Tractatus inter Franciſcum I. Galliæ Regem, & Maximilianum Sfortiam » Ducem Mediolani, cauſa Ducatus Mediolanenſis. concluſi. d d 14. Octo- » bris an. 1515. » Alteri Latino idiomate exaratæ (N. L. col. 527.) hic eſt titulus: » Franciſci I. Galliarum Regis diploma, quo Maximilianum Sfortiam » Mediolani Ducem, abolitis omnibus male contra ſe factis, in gratiam rece- » pit, eique omnia bona mobilia, & immobilia, jura &c. reſtituit. d d. 8. » Martii. an. 1516. »

Digitized by Google

fortaſſis jam erat, quum Carmelitici Ordinis ſui apologiam, ſoluta oratione, commentaretur, ni malis ſcriptam illam, anno, ut creditum Villiers (323), M. D. XIII. quam Principi Eminentiſſi-

(323) *Bibl. Carmel.* tom. II. col. 150. art. *Jordanus de Mantua*. Eam apologiam non pro tuendis Ordinis partibus, ſed pro retundendo ſuorum adverſariorum impetu, a Mantuano editam ratus, ut videtur, Paulus Jovius hæc habet, loco olim citato: « Octogenario major Mantuæ deceſſit non plane felix, » quum in extremo vitæ actu, defenſionem contra criticos ſcribere cogere» tur, qui ejus poemata obeliſcis non inanibus miſere confodiſſent. » At perperam hæc Nuceriensis Præſul. Quæ Mantuanus in ſui defenſionem ſcripſit, ſunt: *Apologeticon in Magiſtophoros* (tom. I.). *Contra detractores* (tom. IV. pag. I., & ſeqq.), ac denique *Contra calumniatores* (tom. IV. pag. 57., & ſeqq.). Porro, quam ſcripſit *in extremo vitæ, defenſio*, ea non eſt *Apologeticon*: editum enim illud prius, ac *Parthenices*, anno, ut habet Villiers (*Bibl. Carmel.* tomo I. col. 223.), M. CCCC. LXXXVIII. imo & antea (V. ſuperius cap. V.) excuſæ in lucem prodirent, quod priora Apologetici verba ſatis oſtendunt: » Quoniam fortaſſe complures, inquit Fuſcario, & Refrigerio ſuis Poeta N: » rei, ut mos eſt, novitate pellecti, etſi non perlegent, legent tamen Par» thenicem noſtram ſub veſtris jam jam nominibus edendam, ne in aliquem » malæ opinionis morbum incidant, volo quamdam ſalutaris antidoti ſynthe» ſim eorum mentibus admovere. » Sed nec eſſe potuit defenſio illa *Epiſtola contra calumniatores*, qui videlicet non ſolent viris eruditis, ſcientibuſque deeſſe (V. Theophilum Raynaudum, clauſula operis: *Erotemata de malis, ac bonis libris* tomo operum XI. pag. 380. edit. Lugd. in fol. M. DC. LXV.): eam enim dedit Poeta N. fratri ſuo Ptolemæo, quum is pro illo apologiam meditaretur, unde, ſub ejus initio, ita ipſum affatur: « Gratias ago, quod protectio» nem meam tam benigne ſuſcipias, & pollicearis te onus ſuſcepturum re» fellendi eorum maledicta, &, ut fratrem decet, fratri ſubvenias. » Eam autem apologiam moliebatur Ptolemæus, imo ultimam jam illi manum imponebat, anno circiter M. D. VIII., veluti ex ſupra (cap. I.) adlata Marii Æquicolæ ad Bardellonium epiſtola manifeſto colligimus. Epiſtola vero *contra calumniatores* eam eſſe anteriorem, quam *contra detractores* ſcripſit, liquido, ut mihi videtur, efficias ex eo, quod illam *contra calumniatores* concludat aſſerendo nolle impoſterum, quamcumque ei dicam inſufferint obtrectatores, in arenam contra illos deſcendere: « Hæc eſt, inquit, hæc eſt voluntas Dei, » ut benefacientes obmuteſcere faciamus imprudentium hominum ignoran» tiam. Hæc ſatis ad præſens generaliter dixiſſe: ſi quid vero ad ſingula ob» jecta dici ſit neceſſe, relinquo tibi totam hanc provinciam, quod litera» rum peritia facit, ut poſſis, & fraterna charitas facit, ut velis. » Non igitur in vitæ extremo privatam ſui cauſam oravit Mantuanus, ut nequicquam eſt a Jovio dictum, de cujus proinde in hanc rem verbis merito Mantuani illud (*Parthenices* II. lib. III.) occentat (*Biblioth. Carmel.* fol. 12.) Petrus Lucius:

Ludicra ſunt levibus vulgo recitanda Poetis.

Interim laudatam ejus pro Carmelitico Ordine apologiam præ oculis habuiſſe videtur P. Alexander Fichet, dum iis illum accenſet (*Bibliothecæ ſcientiarum* pag. m. 76.), qui Ordinum Religioſorum hiſtorias contexuerunt; niſi forte ad MS. Mantuani librum ſe referebat *De ortu, & diverſitate Religionum* a Villiers laudatum (*Bibl. Carmel.* tom. I. col. 232. n. 62.).

Digitized by Google

nentiſſimo Sigiſmundo Cardinali Gonzaga ejuſdem Ordinis, quod jam meminimus, protectori dicavit (324), cui perinde, aliquot ante annis, Tractatum ſacraverat, quem *De loco Conceptionis Chriſti* adverſus Petrum Lucenſem (325) fuerat lucubratus.

---

(324) Tomo IV. pag. 232. -- 243.

(325) Tomo eodem pag. 200. -- 215. Non de loco, quo Mantuanus ipſe fuerit conceptus, veluti (*Bibliotheque des Auteurs Eccl.* ſiecle XVI.) perperam ſcribit Dupin eam ob rem a Niceron (*Mémoires* &c. tome XXVII. pag. 124.), & a Villiers (*Bibl. Carmel.* tom. I. col. 229.) reprehenſus. Ejuſce interim quæſtionis Romam uſque delatæ exitum, hiſce prodidit verbis, Mantuanus ipſe (tract. cit. pag. 215.) « Dum hæc dictarem, ſupervenerunt literæ de » litis terminatione, &, ut mihi relatum eſt, non fuit ipſe Petrus condem- » natus; ſed, tali ordine, Judices proceſſerunt. Convocatis ex omnium Re- » ligioſorum Ordinibus viris Theologiæ peritis quæſtio fuit propoſita, & ad » dubium examinandum tempus aſſignatum. Demum, ſecundum reſponſa eo- » rum, lata eſt ſententia, atque ita Romæ, ſicut prius fuerat Mantuæ, da- » mnata eſt opinio; ipſe vero Petrus benigne abſolutus, atque dimiſſus. » Cui rurſus nihil hic detractum velim, præſertim, quum illum, & ſacris, & profanis literis inſignem ſanctiſſime & vixiſſe, & obiiſſe ſcribant Pennottus, Fabricius (*Biblioth. mediæ, & infimæ latinitatis* tomo V. lib. XV. pag. m. 264.), ac Joannes Dominicus Manſi, eruditis ſuis ad eundem Fabricium adnotationibus; ipſe autem Mantuanus (ibi pag. 214.) *Virum* eum appellet *modeſtiſſimum*.

CAPUT XIII.

CAPUT XIII.

OBITUS.

» QUEMADMODUM invitus ipſe ad Carmeli celſiſſimam » dignitatem evectus fuerat, ſic, triennio vix elapſo, eadem » ſe ſponte abdicavit, ut vulgo autumant Scriptores, tantæ » illi moli ſe imparem ratus, utque Deo, ſuiſque ſtudiis » liberius vacaret (326). Parum tamen abdicationi ſuæ ſu- » perſtes fuit; ſiquidem gravi morbo correptus Mantuano » in cœnobio diem clauſit extremum XIII. Kal. Aprilis, » anno reparatæ ſalutis M. D. XVI. ætatis ſuæ LXVIII. Ec- » cleſiæ clavum tenente Leone X. » Inquit, in ſupremi N. Antiſtitis vita, Marianus Ventimiglia, quocum in aſſignanda emortuali ejus die conſentiunt Daniel a Virgine Maria (327), Ludovicus a S. Tereſia (328), Petrus Niceron (329), alii: at XI. Kalendas Aprilis, fato eum ceſſiſſe ſcribit Graveſon (330), & ante illum Joannes Gerardus Voſſius, quorum opinioni domeſticorum illam prætuliſſe videtur Villiers (331), cui & Moreri, & poſt ipſum Ladvo-

cat

(326) Hæc ſcilicet ex eorum ſententia diſputat Ventimiglia, qui Mantuanum generalatu ſe abdicaſſe reipſa exiſtimant, quorum tamen opinionem & ipſe inferius, & nos, poſt ipſum, explodimus.

(327) *Vinea Carmeli* n. 966. Qua deceſſerit infirmitate nullibi reperio; at ejuſmodi certe eſſe debuit, quæ cadaveris corruptionem minime importaret, ni forte ejus integritas ſupernaturali cauſæ, & quidem, uti ex nota 344. inferri poſſe videtur, probabilius eſt tribuenda. Verum hic ea meminimus, quæ dicta inferius, nota 349.

(328) Chap. CCLVIII. pag. 591.

(329) » Il mourut le XX Mars de l'année M D. XVI. agé de LXVIII. ans, » & non pas de plus de LXXX. comme Jove l'a dit mal à propos. « (*Memoires* tom. XXVII. pag. 109.), quo etiam nomine, Jovium ſuggillat, in Mantuani *Jugement* (loco olim cit. pag. 324.), Hadrianus Baillet.

(330) *Hiſt. Eccl.* ſec. XVI. colloq. V.

(331) *Bibl. Carm.* tom. I. col. 218.

cat (332), aliique adſtipulantur. Emendandi igitur Voſſius, & Graveſon, quique eorum de Mantuani obitu epocham ſequuntur.

(332) Sed & XIII. Kal. Aprilis defunctum illum ſcribunt Bollandiſtæ (tom. I. die V. Februarii. In *S. Agatha* prævii ad acta commentarii §. XV. n. 139.), Aubertus Le Miree (*In auctario* §. D. XXXIII. pag. m. 98.). Hinc fruſtra, anno ætatis LXXII. mortuum illum cenſuit Auctor epitaphii, quod ex Franciſco Swertio (*In deliciis orbis terrarum*) ita exhibet (*Bibl. Carm.* tom. I. col. 219.) Coſmas Villiers.

D. O. M.

ALTER. HIC. IACET. A. MARONE. VATES
NATVS. MANTVAE. ET. IS. QVIDEM. POETAE
DIGNIOR. TITVLO. NISI. INCIDISSET
IN. FLVCTVS. VARIOS. SCIENTIARVM
QVO. MVSAS. COLVIT. MINORE. CVRA
PRIMVS. HIC. TAMEN. A. MARONE. NATVS
MANTVAE. COLVIT. POETA. MVSAS
ANDINOS. QVE. BIBIT. SACRO. ORE. FONTES

VIXIT. ANNOS. LXXII. NATVS. 1444.

Quod idem Mantuani ſarcophagum, & a Freytag, abſque ulla tamen epocha (*Apparatus litterarii* tomo II. notis ad §. XXCII. pag. m. 956.) relatum, ſic Italica elogiorum Pauli Jovii editione (Venet. in 8. anno M. D. LVIII. pag. 128.), inepte ſcilicet, couverſum legitur.

QVI. GIACE. IL. BVON. POETA. MANTOANO
A. VERGILIO. SECONDO. E. SARIA. STATO
FORSE. DI. LVI. PIV. CHIARO. E. PIV. LODATO
S. IN. ALTRO. POSTO. NON. AVESSE. MANO
MA. TRASCORSE. PER. VARIE. DISCIPLINE
ONDE. CON. LENTO. STVDIO. E. VIE. MINORE
CH. EI. NON. DOVEA. FECE. ALLE. MVSE. HONORE
PRIMO. (IN. MANTOA. PERO.) QVELLE. DIVINE
DONNE. DOPO. MARONE. EGLI. IN. PREGIO. HEBBE
E. CON. SVA. BOCCA. SACRA. L. ONDA. BEBBE
DE. LE. FONTANE. ANDINE

Digitized by Google

tur. Sed & mendum videri poſſit, idemque inſignius, illorum, qui Mantuanum generalatu ſe abdicaſſe tradunt: etſi enim ultro illud, ac libenter concedimus invitum illum ad miniſtrandam Rem Carmelitarum publicam acceſſiſſe, nec, niſi, ut Dei nutibus obſequeretur, latam adeo capeſſiviſſe provinciam, ac tantum in ſe oneris ſuſcepiſſe, veluti & nimium perſpecta Auctoris virtus, & aperta ea de re Danielis a V. Maria (333), Ludovici a S. Tereſia (334), Villiers (335), Ventimiglia (336), Moreri quoque (337), ac continuatoris Claudii Fleury (338), aliorumque teſtimonia clare ſatis evincunt; quominus tamen generalatum abdicaſſe credam gravis obſtat Mariani Ventimiglia conjectura: eo defuncto, inquit Vir cl. (339) « Eo defuncto, Pontifex Leo » X. duo Pontificia Brevia edidit. Primum ſub die XXX. » ejuſdem menſis Martii, quo Generalem totius Ordinis Vi» carium Joannem Baptiſtam de Parma inſtituit . . . . . . » Ex quo ſane aperte infertur, quam valde vapulet Poſſe» vini, aliorumque opinio, qui autumant Baptiſtam Man» tuanum, extremis vitæ ſuæ annis, ac tertio poſt genera» latus adeptionem, munere illo ſe abdicaſſe. Siquidem, ſi » id verum eſſet, cur, poſt ejus obitum, Generalis Vica» rius, qui Religionem regeret, foret deſtinandus? Præter» quamquod idem Pontifex Baptiſtam, in ſuo Brevi, ad » extremam uſque vitam Generalem Ordinis Priorem ad» pellat; inquit enim: *Quum quondam Baptiſta Mantua» nus, dum viveret, totius Ordinis Fratrum Beatæ Ma» riæ de Monte Carmelo Prior Generalis nuper fuerit vita » functus*. Et paulo poſt, per Mantuani obitum, Religio» nem ſine Præſule dicit: *Et ne ſine capite exiſtat*, Gene» ralem inſtituit Vicarium. Igitur ipſe ſolus, quoad vixe-

„ rit,

(333) *Vinea Carmeli* n. 966.
(334) Chap. CCLVIII. pag. 591.
(335) *Bibl. Carmel.* tomo I. col. 218.
(336) *Hiſt. chronol.* in ejus vita.
(337) *Dictionnaire* loco olim cit., ubi ſic de Mantuano: « Fut obligé d'ac» cepter la charge de Général même. »
(338) *Hiſt. Eccl.* liv. CXXIV. n. CXXXIX.
(339) Loco nuper cit.

» rit, ſupremus Ordinis extitit Præfectus. Verum tamen » eſt Baptiſtam de Parma, vivente adhuc Mantuano, Vi- » carium Generalem quidem fuiſſe, ut ex eodem Brevi » colligitur; at non totius Ordinis, & abſolutum; ſed Prio- » ris tantum Generalis, & ipſi ſubjectum ab eodem Romæ » in ſui locum ſuffectum, dum ille morbo forſan prægra- » vatus in patrium ſeceſſit cœnobium, ubi diem ſupremum » obiit.

» Altero vero Brevi, die VII. Aprilis ejuſdem anni, edi- » to, S. Pontifex Mantuano Conventui aſſignat, atque unit » cuncta bona, ac pecuniam a Generali, poſt mortem, re- » licta, quocumque jure non obſtante, quod ſuper illis ha- » bere quomodolibet poſſent ſive Religio, ſive alii Man- » tuanæ Congregationis Conventus. Prodiit autem illud Bre- » ve, poſtulante Sigiſmundo Cardinali Gonzaga Mantuano, » atque Ordinis protectore. » Hactenus Ventimiglia (340), qui forte id jure a nobis exigat, ne depoſitum a Baptiſta Mantuano generalatus officium arbitremur (341).

---

(340) Citatum prius illud Breve, quod incipit: *Cum, ſicut accepimus, quondam Baptiſta Mantuanus*. extat *Bullar. Carm.* tom. I. pag. 457. aliud vero, cujus idem fere initium: *Cum ſicut accepimus, quondam Baptiſta Spagnolus*. ibidem reperias pag. 458.

(341) Quidni ergo aſſeruerim minus recte illud a Niceron ſcriptum (*Mémoires* tom. XXVII. pag 108.) « Ayant été élu Général de tout l'Ordre en » M. D. XIII. dans un chapitre général, qui ſe tint à Rome, il tacha d'étendre » dre la Reforme ſur tous les Convens; mais voyant qu'il ne pouvoit y » réuſſir il ſe dégouta de ſa dignité, & y renonça en M. D. XV. pour ſe » donner plus librement aux belles-lettres, qui faiſoient ſon amuſement, & » ſa délice. » Erravit hoc ipſum, ſi tamen erraſſe dicendus (*Storia della letteratura Italiana* tom. VI. parte II. lib. III. cap. IV. §. XX. pag. 229.) eximiæ ceteroquin eruditionis vir cl. Tiraboſchi.

CAPUT XIV.

PRÆCLARORUM VIRORUM DE MANTUANO TESTIMONIA,

AC BREVIS ILLIUS OPERUM CENSURA.

» LE Ciel ,& la Terre, inquit Ludovicus a S. Tereſia » (342), conſpirerent, après ſa mort, a rendre des témoi- » gnages honorables des mérites de cet Homme. Le Ciel » en ce, qu'il a conſervé juſqu'à préſent ſon corps incor- » rompu, & ſans léſion aucune, comme on voit au dit » Convent: La Terre en ce, que Féderic fait l'an. M. D. » XXX. (343) premier Duc de Mantoue par l'Empereur » Charle cinquieme, fit eriger dans la plus belle place de » la Ville un arc triomphal, ſous le quel ſont poſées les » ſtatues de Virgile, & du Mantouan faites de marbre » avec cette inſcription:

ARGVMENTVM. VTRIQVE. INGENS.
SI. SECLA. COIRENT.

Primum

(342) *La Succeſſion* &c. chap. CCLVIII. pag. 591.

(343) Licet antea Dominus, tunc primum tamen *Ducis* titulo a Carolo V. decoratus. V. Muratori (*Annali d' Italia* tom. X ad an. M. D. XXX.), Franciſcus Haraeus (*Annalibus Ducum, ſeu Principum Brabantiæ* tomo II. in Carolo V. ad an. M. D. XXX. pag. m. 583.)

Fridericum hunc innuere debebat, & fortaſſis volebat optimi ingenii vir Joannes Baptiſta a S. Alexio, dum ſcriberet Mantuani obitu, & Summum Eccleſiæ Pontificem Leonem X., & Romanorum Imperatorem, Auſtriæque Principem Fridericum mœrore affectos (*Compendio iſtorico* &c. ſeſſ. V. cap. IV. pag. 224.). Sane Romanorum Imperator Fridericus III. ab anno jam M. CCCC. XCIII. circiter, ſublatus fuerat, cujus ſucceſſor Maximilianus I. Imperium tenuit ad annum uſque M. D. XIX. Videſis inter alios Eliam Reuſnerum (ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ. parte I. In ſtirpe Pharamundana. Ecphraſi Rami IV, ſtemmatis Habsburg. pag. m. 37.) &c.

Digitized by Google

Primum illud de incorrupto Mantuani cadavere noſtri omnes affirmant, ex quibus ſic, cit. Auctoris N. vita, eruditus Ventimiglia: « Cum fama, & odore ſanctitatis, vita, di- » ſceſſit, ejuſque corpus in Mantuano ſuo Templo condi- » tum eſt, ubi decenti tumulo adhuc integrum, & incor- » ruptum, magna cum veneratione, adſervatur, ut egomet » vidi, anno M. DCC. LX. » (344). Hiſce igitur omnibus attentis, uti &, quibus vivens floruit, virtutibus, factum eſt, ut *Venerabilis* titulo, paſſim ab Auctoribus appellaretur, eumque laudatus Ventimiglia inter Venerabiles pietate Viros recenſuerit, ſuo *Il ſacro Carmelo Italiano* (345). Sed & Daniel a Virgine Maria (346) inter *magnis virtutibus inſigniores* ipſum collocat. Raynaudus autem (347) Mantuanum

(344) » Communi Fratrum ſepulchro conditus, poſt multos annos, inter » aliorum defunctorum corpora ſanie, taboque conſumpta ſolus integer, cla- » rus, nitens, ambroſiam, nectareumque odorem fundens, non abſque ſan- » ctitatis opinione, repertus eſt. Quæ res maxime movit populum, ut com- » muni ære, nitidiori (ut hodie pie conſpicitur) ſepulchro extructo claude- » retur. » Inquit *Biblioth. Carmel.* fol. 12. P. Lucius Belga, cujus poſtrema verba de extructo, communi ære, ſepulchro exſcripſit (*Speculi Carmelit.* parte II. n. 3429.) Daniel a Virgine Maria: ut adeo non paſſim accepto, ſed, peculiari quodam ſenſu, cineres ejus *ſacri* appellari poſſe videantur, ſarcophago, quod ex *Deliciis orbis terrarum* Franciſci Swertii allegat (*Biblioth.* tom. I. col. 219.) Coſmas Villiers.

D. O. M.

MANTVA. ME. GENVIT. TENVIT. QVOQVE. MANTVA. SACROS.

NVNC. MEA. NVNC. CINERES. MANTVA. CHARA. TENET

Ductum hoc videtur ex illo in Virgilium, quod refert Ferettius, Bonada, alii:

MANTVA. ME. GENVIT. CALABRI. RAPVERE. TENET. NVNC

PARTHENOPE. CECINI. PASCVA. RVRA. DVCES

(345) Lib. II. cap. II. §. IV.
(346) *Speculi Carmel.* parte II. NN. 3427. 3428. 3429.
(347) *Scapularis Partheno-Carmelitici* parte I. cap. IV. §. IV. n. 72.
Adjungi his poſſet Antonius Maria Perotti, qui P. Bartholomæum Fanti, ac N. Auctorem dicit: *L' uno, e l' altro per ſantità di vita commendatiſſimi.*

Digitized by Google

tuanum laudat inter Carmelitas doctrina, pietate, gratia miraculorum conſpicuos. *Beati* vero nomine illum decorat N. Joſeph a Jeſu (348). Quamvis dicta hæc accipias, ſenſu a fel. rec. Urbano VIII., nec non a ſacra univerſalis Inquiſitionis Congregatione permiſſo XIII. Martii M. DC. XXV., V. item Julii M. DC. XXXIV. (349).

§. I.

DE RE EJUS POETICA.

QUAM ſibi Mantuanus pepererit eximiæ eruditionis, ac poeticæ artis gloriam, quantaque, Apollineæ præſertim facundiæ laude inclaruerit, ut alia bene multa oſtendunt præclarorum virorum eam in rem teſtimonia; tum illud, non infimo loco, habendum exiſtimem, quod ex ſtatua illi a Friderico Mantuæ Duce, ut vidimus, erecta poſſit deſumi. Ejus autem, ut Noſtros omnes præteream, meminere Maffei, Graveſon (350), atque ipſe etiam Jovius (351) vocans tamen

Oratione habita comitiis Mantuanæ Congregationis XIII. Maji, anno M. DCC. LXVII. In Mantova per l' Erede di Alberto Pazzoni, in 4. pag. 30. nota ultima. Sed neque hic omittenda, quæ typis edita ſunt, libello ſupplici ad N. O. PP. in comitiis generalibus, anno M. DCC. LVI. Ceſenæ congregatos, pro cauſa B. Angeli Mazzinghi proſequenda: « . . . . . . Providum, » ac ſaluberrimum conſilium eſt promovendas apud Sanctam Sedem, in præ» ſentiarum, aſſumere cauſas Beatorum, qui nimirum publico, & immemo» rabili cultu modo gaudent, prout ſunt B. Archangela Tridinenſis, B. Joan» na Scopelli, B. Franciſca Amboiſe, B. Baptiſta Hiſpanioli, B. Bartholo» mæus Fanti, B. Jacobus Cravacorienſis . . . . . » &c.

(348) *Iſtruzione intorno al ſacro abitino* cap. II. qu. V. R. I.

(349) Præſertim quod ejus attinet incorruptionem; non enim incorruptio quæcumque miraculoſa. Adiſis Benedictum XIV. *De Servorum Dei beatificatione, & Beatorum canonizatione* libro IV. parte I. cap. XXX.

(350) *Hiſt. Eccl.* ſec. XVI. colloq. V.

(351) Elogio LXI.

Quamquam, ſi recte eam epigraphen, ut exponenda èſt, interpretemur, nemini haud penitus infrunito ridenda putabitur comparatio illa. Audiatur, qui univerſam hanc rem exponit dilucide Agnellus Scipio Maffei (*Annali di Mantova* lib. XI. cap. VI. pag 848.), ubi hæc de Mantuæ Duce Franciſco: » La gloria delle ſue armi, ed azioni, è celebrata ſenza fine da tutti gli Scrit-

men illam *piam hercle*, *ſi non ridendam comparationem*. Verum, etſi eorum opinione ſatis abludimus, qui Mantuanum Virgilio aut æqualem (352) habuere, aut illo etiam meliorem (353); haud tamen ægre illud audimus, Vatis N. poemata, ceu *Divina* habita fuiſſe ab emunctæ naris, graviſſimique judicii viris, Joanne Pico Mirandulano (354), ac

» tori famoſi di quel tempo, e preſſo S. Franceſco fu ſcolpita la ſua imma» gine tra quella di Virgilio, e di Battiſta Carmelitano con queſto verſo

» ARGVMENTVM. VTRIQVE. INGENS. SI. SECLA. COIRENT

» volendo inſerire, che non minor Eroe, ed argomento di eſſere cantato » per Virgilio ſarebbe ſtato del Trojano Enea il Marcheſe Franceſco, che » pure fu il ſoggetto celebrato da Battiſta Carmelitano rariſſimo Poeta, ſe » il ſecolo di Franceſco ſi foſſe congiunto con quello del famoſiſſimo Vir» gilio. » Ubi haud ſatis mirere, ullam a Jovio reperiri potuiſſe inter utrumque Vatem, quæ ridenda ſit, comparationem.

(352) Joannes Trithemius (*De laudibus Carmelit.* lib. II.) Mantuanum eſſe proſa Ciceroni, metro autem Virgilio æqualem definit. Quo ſe referens Labbe (*Diſſ. hiſt.* ad Robertum Bellarminum *De Scripp. Eccl.* tomo illius opp. VII. pag. m. 542.) ſcribebat de eodem Mantuano: « Conſule Joannem Tri» themium, ex cujus encomio hæc, dubio procul omni, obliteranda: *qui* » *metro Virgilium, Ciceronem proſa æquat, ne dicam ſuperat*: ſunt enim falſiſſi» ma iis, qui guſtum aliquem latinitatis habent, licet ingenium ejus copio» ſum, & mira in pangendis carminibus facilitas, aliæque dotes ſatis com» mendari nequeant. »

(353) » Battiſta Mantovano celeberrimo Poeta, le opere di cui lo dichia» rano ſuperiore a Virgilio. » Inquit Joannes Petrus de Creſcenzi (*Preſidio Romano* lib. III. parte II. narraz. II n. 5.). Pariter N. Lucius Belga (*in Biblioth. Carmel.*), & ante ipſum Vir alias doctiſſimus, Vateſque idem cl. Joannes Franciſcus Picus (*De ſtudio humanæ, & Divinæ philoſophiæ* lib. I. cap. VII. pag. m. 21.), Poetam N. utpote Chriſtianum Virgilio, ethnico ſcilicet Vati præferri oportere exiſtimant: « Sed non Religionem nunc ſpectamus, verum » artem poeticam. » Inquit ſcitiſſime Joannes Gerardus Voſſius (*De hiſtoricis latinis* lib. III. cap. XI. pag. m. 665.).

(354) » Olim ad te, optime Pater, non ſcripſi, ſed interim legi, quæ ſcri» pſiſti, divina ſcilicet, atque ſanctiſſima illa tua poemata, in quibus ea re» rum majeſtas, is ſplendor eſt eloquentiæ, ut certatim in illis palmam ſibi » vendicare verba, atque ſententiæ videantur. Felix, qui velis optima, ea» dem poſſis. Felices nos, quibus non ſolum legere, quæ ſcripſiſti, ſed etiam » te amare, te videre, te alloqui datum eſt. Dives hic mihi materia, & » quæ non epiſtolam, ſed juſtum volumen impleat, ſi evagari me in laudan» dis tuis poematis vel imbecillitas ſineret noſtra, vel pudor tuus. Hoc unum » dixero delectari me adeo lectione tuorum carminum, ut fere quotidie, » quum me vel tædium, vel fatigatio cœperit, in illa, quaſi in hortum de» litiarum, ſolitus ſim ſecedere, unde animo tanta ſemper oboritur voluptas, » ut nihil cupiat magis, quam iterum fatigari, ut iterum recreetur. » Joannes Picus Mirandulanus, epiſtola ad Baptiſtam Mantuanum Carmelitam (opp. ejuſdem Pici pag. 368. edit. Baſil. in fol. M. D. LXXII.).

Digitized by Google

ac Philippo Beroaldo (355), quibus fortaſſe, & Jovianus Pontanus (356) adjungendus eſt, & Joannes Franciſcus Picus prælaudati Joannis Pici nepos eruditiſſimus (357), Eraſmus

---

(355) « Perlegi nuper divina divini Baptiſtæ Carmelitæ poemata, quæ evi-
» denter oſtendunt parentem rerum naturam, in progenerandis poeticis inge-
» niis, haudquaquam decoxiſſe, Mantuamque nobis alterum Maronem ex Pa-
» lingeneſia Pythagorica reddidiſſe. Equidem Vates omnes priſcos adoran-
» dos puto, maximeque Virgilium, cui hic noſter proximus, longo quidem
» intervallo, ſed tamen proximus, in quo ingenium copioſum, & mira
» doctrinæ multijugæ abundantia exuberat. » Philippus Beroaldus de Man-
tuano Confeſſario ſuo (ut Beroaldus ipſe, eadem hac epiſtola, ſcribit) epi-
ſtola ad Hieronymum Carmelitam. (opp. Mant. tom. III. nec non apud Vil-
liers *Bibl. Carmel.* tom. I. col. 237.)

Ad hæc interim, eademque, ut mihi quidem videtur, haud ſatis bene in-
tellecta reſpiciebat ſortaſſis Marcus Guaſco, dum (*Cronica* ſol. 340. edit. Ve-
netæ in fol. M. D. LIII.) ſcriberet: « De la famiglia de Spagnuoli nacque in
» Mantoua Battiſta de l'Ordine Carmelitano gran Teologo, gran Poeta, e
» ne l'altre buone littere molto dotto. Fu in queſti tempi in tanta ſtima,
» che alcuni, che tengono de l'anima l'opinione Pitagorica, dicono hauer
» hauuto coſtui nel corpo quella iſteſſa anima c'hebbe nel corpo Vergilio
» ſuo compatriota. » Videſis & notam 140.

(356) Ait is (*Epiſtola* Auctori N. data Kal. Juniis M. CCCC. XCIX.) ejuſ-
modi fuiſſe Mantuanum, « quem latinæ Muſæ non memorabilem modo, ve-
» rum maxime etiam admirabilem & noſtris faciunt, & futuris facturæ ſunt
» ſæculis » (opp. Mant. cit. nuper tomo III. initio uti, & laudato nunc nunc
loco, Villiers.) Quinimo Pontanus, ut ait de ipſo, in Mantuani *apologia* (opp.
Mant. tomo IV. pag. 116.), frater ejus Ptolemæus: « Erat . . . . Poetæ
» N. ſic addictus, ſicut conſtat ex ejus epiſtolis, ut eum loco Numinis ha-
» bere videretur. »

(357) Dicit is Poetam N. *Mantuæ ſpem alteram* (lib. I. *De ſtudio divinæ, & humanæ Philoſophiæ* cap. VI. pag. 18.), quin & tanti illum faciebat, ut, quæ
ipſe alias doctiſſimus ſcriberet, hæc Auctori N. corrigenda, atque elimanda
conſignaret: « Opuſculum quoque noſtrum heroico carmine paulo ante com-
» poſitum ad te perferendum obtuli (Ptolemæo fratri) . . . . . alia miſſurus,
» & majora, ubi cognovero hoc idem a te, jure amicitiæ, & perlectum, &
» caſtigatum. » Inquit ille, epiſtola ad N. Auctorem (lib. *epiſt.* IV. pag. m.
1359.), cui, quum hæc reſpondiſſet Mantuanus (epiſtola, quæ extat inter
illas Pici, eodem lib. IV. eadem pagina 1359.) « Poema, quod religioſe, elo-
» quenterque, & docte conſcripſiſti, neque laudare, neque admirari ſatis
» poſſum . . . . » Reſpondit Picus, epiſtola altera (eodem lib. IV. pag. 1360.
& ſeqq.), qua hæc habet, inter alia (pag. 1361.): « Rediit ad nos Poema
» noſtrum . . . . . . laude . . . . . cumulatum . . . . optaſſem equidem,
» ut ipſum quoque pupugiſſes, quo illæſum potuiſſet egredi. » Pergit inde,
eadem hac epiſtola, aitque (ſeq. pag. 1362.) « Aveo, quæ nuper ſcripſiſti,
» perlegere, & quæ mihi Ptolemæus frater recentes elucubrationes a te per-
» ſcriptas affirmavit, magna cum delectatione cernere, viciſſimque, ſi id pla-
» cuerit, mittemus noſtra permutantes: *Χρύσεα Χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεα-*
» *Βοίων.* Quod ut facias quæſo: & quamquam *Χρύσεα* daturus es; tamen non
» eſt timendum, ut *φρένας ἐξέλετο Ζεύς*. Carpi XI. Kal. Sextilis, anno M.
» D. V. » Adiſis & ſuperiorem notam 353.

Eraſmus quoque vir ille κριτικότατος (358), Jacobus Wimphelingius, Elias Capreolus (359), quoſque ante appellavimus,

O

(358) Malim, inquit Deſiderius Eraſmus: « Malim hemiſtichium Mantuani, » quam tres Marullicas myriadas. » Epiſtola ad Wimphelingium Baſileæ data M. D. XVII. die III. Februarii, quam ineditam ſcribit De la Monnoye; etſi fatetur non ideo ſe exiſtimare illam apocrypham (ad. Baillet *Jugement* &c. tom. IV. n. 1244. pag. 321. nota I.) quin & illud obſervat (ad N. 1247. pag. 327. nota I.) ipſum de Mantuano judicium tuliſſe ex laudato Eraſmo eruditum Konig. (adiſis iſtius *Biblioth. vet.*, *& novam* lit. M. pag. 504. editionis Altdorf. M. DCC. LXXVIII.) Hac autem in re, etſi acute illud obſervatum videtur eidem Baillet (ibi N. 1247. pag. 326.), potuiſſe illa ab Eraſmo dici, non, ut extolleret Mantuanum, ſed ut Marullum deprimeret; ſi tamen, quæ hic recurrunt, circumſtantias attendiſſe libeat, id jam videri poterit ſatis improbabile, quum amico viro ſcriberet Eraſmus de Mantuano optime equidem ſentienti, penes quem adeo nullius plane fuiſſet roboris inſtituta ab Eraſmo in Marulli contemptum comparatio. Quam autem egregie, quam alte de Mantuano ſentiret Wimphelingius vel exinde conjeceris, quod, epiſtola Argentorati Kal. Maji M. D. XVIII. Matthiæ Schurerio data, vehemens eidem aperuerit, quo ipſe æſtuabat, deſiderium, aliquando ſcilicet obtinendi, ut, qui apud Chriſtianos erant latinarum litterarum anteceſſores, Tibullo, Propertio, Catullo, Lucretio item, Marullo, idque generis ſalacibus Poeis dimiſſis « Baptiſtam Mantuanum in libris faſtorum lectu digniſſimum . . . . . » ſuis diſcipulis interpretarentur. » Confer, quæ ſuperſunt, hujus epiſtolæ reliqua apud Villiers (*Biblioth.* tom. I. col. 238.). Quamquam nimis illud quidem apertum eſt, ſi modo non Religionem, ſed carmen ſpectemus, aureæ ætatis Scriptores terendos manibus, informandæque latina lingua juventuti proponendos. Cæterum Eraſmus non demiſſe adeo de Mantuano ſentire ſatis, *Ciceroniano*, ut ipſe vocat, *Dialogo* oſtendit, quo loci, Poetam N. ipſi prætulit Actio Sincero Sannazaro. Quod Eraſmi judicium notavit & Floridus *Lectionum ſubciſivarum* lib. III. capite VI. apud Janum Gruterum *Lampadis*, ſive *Theſauri critici*, tomo I. *Sylloge* V. pag. m. 1200. Quinimo Auctorem N. tanti demum faciebat acerrimi vir ingenii, ut (*Epiſtol.* vol. II. epiſt. CCCXCV.) aſſeruerit fore aliquando, ut Mantuanus N. vix non Virgilio æquiparandus haberetur. Miratur, ſcio, hoc Eraſmi judicium (loco olim citato) cl. Tiraboſchi; at illud ſaltem mecum ipſe inferat non adeo levem, enervatum, incomptum fuiſſe Mantuanum, ut non plurimi eum fecerint Viri ingenio, eruditione, ac rerum delectu ſpectatiſſimi. Interea Baillet ſuſpicionem illam ſuam omnino inde exſufflari intelligat. Ea autem Eraſmi ad Wimphelingium epiſtola, quam inter illius opera anecdotam ſcribit De la Monnoye, quamque nuncupatoriæ tomi II. opp. Mantuani Cuperus attexuit, hujuſmodi eſt.

» Vivimus, valemus, tui meminimus, te amamus omnes, &, ſi tuo fiat » commodo, adventum quoque tuum expectamus. Novum Teſtamentum jam » ad metam properat. Hieronymus belle procedit. Demiror judicium Sapidi. » Juro, quiſquis is fuit, qui hoc illi perſuaſit, nihil illo ineptius. Malim he» miſtichium Mantuani, quam tres Marullicas myriadas. Cura, ut revaleſcas, » & podagram unacum ſcabie profliges. Scripſeram Abbati Volſio; verum » epiſtola periit, neſcio cujus culpa. Scripſi ne querereris me non ſcripſiſſe. » Bene vale. Salutat te cœtus omnis doctiſſimus, me excepto, tuique aman» tiſſimus, me non excepto. Baſileæ, poſtridie Purificationis, anno XVII. (ſubaudi M. D.)

(359) Audivimus illum (nota 140) de Auctore N. ſcribentem: « Virtute » poetica ſynchronos omnes, ex antiquis etiam complures a ſe longe re» liquit. »

Digitized by Google

mus, aut laudabimus infra ſane plures, ut recte illud jam inde effeceris, Mantuanum alterum ſaltem ex iis cenſeri poſſe, de quorum inſcribendo epitaphio differens vir in id genus rebus maxime audiendus Jacobus Pontanus (360): » Multum, ait, valebunt in hiſce epitaphiis comparationes. » Ut, ſi in Poetam ſcribas, eum conferas Ovidio, Pro- » pertio, Tibullo, Catullo, Virgilio, Homero, Orpheo, » ipſi Apollini . . . . Exaggeranda uniuſcujuſ- » que in ſuo genere eruditio . . . . . Si quis libros edide- » rit, commendandus labor, laudanda Scriptoris beneme- „ rendi de poſteritate voluntas. „ Equidem non illud abnuerim Mantuani carmina viſa quibuſdam flaccidiora, potiſſimum, quod, ut Lilius Gyraldus (361), atque poſt ipſum Fleuryanæ Hiſtoriæ Continuator (362) obſervant, nimios plane verſus extemporanea abuſus facilitate conſcripſerit; ſed enim præterquam eſt Mantuano cenſura illa cum optimis alias Poetis Lucano, Silio, Statio, ut Raviſius Textor (363) adnotabat, communis: illud negari haud poteſt, quod

(360) *Poeticarum Inſtitutionum* lib. III. cap. XVIII., quod prænotatur: « De » epitaphio Sanctorum, Religioſorum, Eruditorum, ac Sapientum » Sic Franciſcus Roſeti Veronenſis Poeta nedum Virgilio a Monembaſienſi Epiſcopo Arſenio prælatus eſt; verum & ipſi fere Homero a Reniero antepoſitus. Conferatur Scipio Maffei *Verona illuſtrata* parte II. lib. IV. col. m. 206. Sic etiam Mantuanus *Carmine ad Hermolaum Barbarum* Corteſium Muſæo æquiparat.

(361) Dialogo I. *De Poetis ſui seculi*. Gyraldum Mantuano, hoc loci, uti & viris aliis longe ſpectatiſſimis paulo injurium agnoſcit (*De erroribus magnorum virorum* cap. VIII. pag. 121.) Leo Allatius. Sed & ægre fert Mantuani editor Cuperus (*Dedicat.* tom. I.) Politianum a Gyraldo Poetæ N. prælatum: « Nam » quod ad eruditionem pertinet, non video qua in re Mantuanus Politiano » cedat . . . . Quod vero ad dicendi facultatem pertinet, parem, mea » ſententia, in tam diverſo dicendi genere, laudem videntur mereri poſſe. » Politianus enim anguſtiore, verum altiore alveo ingentem aquarum vim tra- » hit, Mantuanus latius exſpatiatur: fluit ille plenior, hic fertur rapidior, » atque (quod erat Longolii de Budæo, & Eraſmo judicium) in Politiano » plus nervorum, ſanguinis, ſpiritus, in Mantuano plus carnis, cutis, colo- » ris, agnoſcere eſt: in illo plus diligentiæ, in iſto plus facilitatis: ille om- » nia utilitati, hic plurimum delectationi tribuit: pugnat ille cura, ingenio, » gravitate, dignitate, hic Mantuanus ſubtilitate, lenitate, jucunditate, ad » victoriam contendit. »

(362) Liv. CXXIV. n. CXXXIX.

(363) Epiſt. XLI.

Scimus, & hanc veniam petimuſque, damuſque viciſſim.
Horat. *ad Piſones*.

Digitized by Google

quod eſt ab eodem laudati Fleury Continuatore animadverſum, plura eſſe ex ejus carminibus recte, nitide, eleganter expoſita, atque adornata; ut adeo æquo ſeverius cenſoriam in illum virgulam Ariſtarchi hi noſtri, Jovius præſertim, Julius Cæſar Scaliger (364), Hadrianus Baillet (365), Bernardus Fontenelle (366), atque Franciſcus Xaverius Quadrio (367) exercuerint, quorum auctoritate ne quis forte, æquo plus moveatur, illorum hic criminationes ſummatim perſtringo. Illud igitur Mantuano improperant, quod Sanctarum Virginum loco Hamadryadas habuerit, profanæ poeſeos fabulas, ac mythologica adinventa ſacris carminibus ſuis ultra, quam dici poſſit, frequenter admiſcuerit, ac ſtudioſe nimis ſit conſectatus. Quam rem etſi ſatis & ipſe animadverto, nolim tamen jus ſibi quiſquam aſſumat omnia idcirco illius ſcripta improbandi, ipſumque traducendi ineptum, battologum, ac levem muſopattagon: quamquam

 enim

Scimus jure illud interdum de Mantuano effari nos poſſe, quod olim Scaliger (lib. VI. *Poetices*, qui *Criticus* dicitur cap. IV. pag. m. 788.) « Dum» modo ſcribat, quod in mentem venerit . . . . ſuſque deque håbet. » Grave nimirum incommodum, quo ii utique eſſe deberent immunes, qui Appollineæ inhiant lauro, ut enim recte eſt a Berruyere ſcriptum (*Les caracteres* chap. I.) « Il y a des certaines choſes, dont la médiocrité eſt inſup» portable: la poëſie, la muſique, la peinture, le diſcours public. » Unde, ut ſubdit (ibidem chap. XI.) « Les Peintres, les Muſiciens, les Orateurs, » les Poëtes, tous ceux, qui ſe mèlent d' écrire, ne devroient ètre capables » que d'émulation. » Hæc, inquam, non neſcimus; at illud contendimus, quod, ut vel Jovius ipſe fateri debuit: « Carmelitæ ſatis ad laudem fuit, quod » per quindecim ſecula neglectos a civibus Andinos fontes ſalubriter ebibe» rit. » Quod certe quanti ei ſtetiſſe debuerit prudens rerum æſtimator intelligat; licet rurſus eſt id ingenue faſſus Mantuanus: « Poema omne carptim » compoſui, curſim abſolvi. » (*Contra calumn.* pag 80.), ex quibus tamen nolim inferret Niceron (*Mémoires* &c. tome XXVII. pag. 109) « que le ju» gement, & le gout ont toujours manqué aux ouvrages de Mantuan. » Nam *opera ipſa ſatis reſpondebunt*, ut idem Mantuanus (ibidem ſeq. pag 81.) adverſus illos ſcribebat, qui ei crimini vertebant, quod cyclico olim ſcriptori Venuſinus (*ad Piſones*):

Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

(364) Cit. *Poetices* lib. VI. cap. IV. Eam Scaligeri in Mantuanum, viroſque alios clariſſimos petulantiam ſtomachatur Leo Allatius *De erroribus magnorum virorum* cap. VIII. pag. m. 133.

(365) *Jugement des Sçavans* tom IV. edit. in 4. n. 1247.

(366) *Diſcours ſur la nature de l'eglogue* pag. m. 154.

(367) *Della ſtoria, e della ragion d' ogni poeſia* vol. II. lib. I. diſt. II. cap. VII. particella I.

Digitized by Google

enim refügere id genus ſcribendi more Chriſtianæ poeſeos indolem ſummi aliquando hujuſce artis magiſtri Muratori (368), Rapin (369), Racine (370), Rollin (371), Triveri (372), aliique definierunt; ſcitum illud tamen, quod eſt ab eodem quoque Rollin, a Triveri laudato, a Joanne Vincentio Gravina (373) adnotatum, fuiſſe id, ætate illa, non Vatum equidem, ſed imo ipſius, quo vivebant, ſeculi vitium, quo adeo & Hieronymus Vida lapſus eſt, & vehementer peccavit, ſi tamen peccaſſe dicendus Sannazarus (374); quorum proinde nemo non recte Ovidianum illud uſurpet (375):

Si

(368) *Della perfetta poeſia* lib. I. cap. XXI.
(369) *Réflexions ſur la poëtique en particulier* §. XIII. Œuvres tom. II. pag. m. 151.
(370) *La Réligion poëme*. Préface.
(371) *De la maniere d'enſeigner, & d'étudier les Belles-Letteres* tom. I. liv. II. chap. I. art. IV. Menzini A. P. lib. IV.
(372) *Ragionamento intorno la poeſia* tom. I. op. *La Redenzione*.
(373) *Della ragion poetica* lib. I.
(374) Cæterum Scriptor cum primis doctus, atque in illo rerum genere pro millibus unus Boileau Deſpreaux, poſtquam dixiſſet (*L'art poëtique* chant. III. v. 217. 218.).

Ce n'eſt pas, que j'approuve en un ſujet Chrétien
Un Auteur follement idolatre, & payen.

ſubdit illico adverſus eos, qui vel in profanis rebus, cujuſmodi certe ſunt Auctoris N. eclogæ, Mythologia uti nos poſſe negant:

Mais dans une profane, & riante peinture
De n'oſer de la fable employer la figure,
De chaſſer les Tritons de l'empire des eaux,
D'ôter a Pan la flute, aux Parques leurs ciſeaux,
D'empêcher, que Caron dans la fatale barque
Ainſi, que le Berger ne paſſe le Monarque,
C'eſt d'un ſcrupule vain s'allarmer ſottement,
Et vouloir aux lecteurs plaire ſans agrement.

Quinimo « Sebbene lo Scrittore Criſtiano, inquit Jacobus Mazzoni (*Diſeſa » di Dante* lib. III. cap XLVIII.) in ſoggetto religioſo deve a più potere » fuggire di riportare quelle favole de' gentili, che contengono diſoneſtà, e » ſono contrarie a' buoni coſtumi, quando non lo faccia per condannarle, » e ributtarle: non può nondimeno giuſtamente riprenderſi, ſe con favole » oneſte nel ſenſo letterale, e utili nell'allegorico voleſſe invitare, e ſpro» nare i lettori a vivere bene, e beatamente. » Quod Mazzoni judicium &, præfatione ad opus: *Dio, Sonetti, ed Inni di Fra Gio. Batt. Cotta*. libentiſſime approbat Juſtinianus Pagliarini, quorum fortaſſis auctoritas, etſi non litem dirimit, certe adverſarios fere etiam auctoritate pugnantes haud penitus juvat, ſed & Muratorius conferatur loco citato.
(375) *Triſtium* lib. IV. diſt. I.

Digitized by Google

Si quæ meis fuerint, ut erunt, vitioſa libellis,
Excuſata ſuo tempore Lector habe.

Uti & eorum nemini non Horatianum iſtud occentem (376):

Sunt delicta tamen, quibus ignoviſſe velimus.

At pergit Xaverius Quadrio (377), Mantuani Amintam ejuſce ingenii, quod plane ab agreſti paſtorum more abhorreat, inconſulto nimis depingi, veluti, quum aſſerere fingitur haud ullam manere, poſt funera, vitam: ſed enim, quam illi merito hic ea reponeret Raviſius Textor, quæ objiciebat olim (378) calumnianti Mantuanum, quaſi crapulam, ac temulentiam approbaſſet, dum in *Fauſto* ſeptimum etiam hauſtum non denegabat: " Perpendas velim, » inquit, priuſquam quicquam crudum, & impræmeditatum evomas, quemnam paſtorem his verbis inanibus effutientem induxerit. » videlicet, ut iis occurramus, quæ ſunt a Quadrio objecta, legiſſe debebat Vir certe eruditus, quæ de eodem Aminta ſcripſerat antea eamdem hanc objectionem veluti præoccupaturus Mantuanus (379):

Ut leges audivit, ad hæc reſpondit Amintas;
Civis enim fuerat puer, & verſatus in urbe.

Sed tamen gravius illud, quod emerſit inde incommodum: etenim haud ſatis recte ſingula hæc perpendentes collectores op. *Nouveau Dictionnaire hiſtorique* V. *Spagnoli* de Mantuani eclogis differentes ſcripſere: « Il detruit dans l'une la » croyance d'une autre vie. » Scilicet hoc illis animadvertendum

(376) *Ad Piſones.*
(377) Cit. loco pag. m. 603.
(378) *Epiſtola* XLIII. pag. 73. Taurin. ed. in 12. an. M. D. XCIII.
(379) Ecloga præc., quæ *Fortunatus* inſcribitur. ℣℣. 133 134. Clamat, ſcio, Fontenelle, cit. loco, pag. 177. « En vain le Mantouan pour excuſer » cela, dit, qu'Amintas avoit paſſé bien du tems à la ville . . . . . ces er» reurs-là . . . . . . doivent être ignorés des Bergers »; at non æque iis, qui, ut id conſtanter repetam, in urbe verſati fuerint.

Digitized by Google

tendum erat dicta hæc ab amente paſtore, quem pluribus confeſtim rationibus paſtor alius refellit (380).

Sed vero audiamus quid novi afferant Scaliger, quid Baillet: quamquam nihil novi objiciunt, nihil, quod ab aliis exſcribere non potuerint, animadvertunt, quos ideo poſſis adhibita jam aliis reſponſione refellere. Cæterum neque erit cur multum ſeveriori eorum critice commoveamur; ſcitum enim Baillet, virum, ut Lengleto (381) dicitur, *cauſticum* fuiſſe, multaque, ut a Menagio (382) oſtenſum,

---

(380) Quis enimvero, quis illud ſibi perſuaſerit animæ immortalitatem illi negatam, qui (ut loca cætera mittam, quæ habet paſſim, libris *Faſtorum*. Carmine etiam *De contemnenda morte* tomo I. ſol. 121. *In morte Collæ* ultimis verſibus. Eodem tomo I. fol. 134. *De morte fratris ſui Friderici*. Ibidem fol. 142.) hæc canebat in *S. Nicolao Tolentinate* lib. I. initio (eodem tomo I. fol. 205.)

Fundamenta novi jaciens ampliſſima mundi
Ille opifex tantorum operum ſine corpore quædam
Fecit, & humanos non admittentia ſenſus.
Hæc ea ſunt, quæ morte carent . . . .

Sed digni, qui in hanc rem afferantur, verſus, quos habet Auctor, *vitæ ſuæ Epitome* tom. opp. II. ad calcem.

Ad ſenium veni, ſtadium vitale cucurri,
 Et fero jamdudum, pro pugione, rudem.
Liber ab hoc tandem mortali corpore vadam
 Ad Superos, vel quo me Deus ire volet.
Ipſe mihi pater eſt, quocumque vocaverit ibo,
 Et mala non ægra ſingula mente feram.
Me tamen illius precor ut clementia blande
 Excipiat, ſceleri nec ſit acerba meo.
O Populi pacem, qui me coluiſtis, habete,
 Et pro me accenſis ſacrificate focis.
Tu quoque Carmeli montis longæva propago,
 Spiritui fac ſis officioſa meo.
Crebra, Sacerdotes, pro me libamina Chriſto
 Reddite, & ad veniam ſollicitate Deum.

Hæccine alteram vitam negantis verba? Quam hic appoſite Phædri illud:

. . . . Decipit
Frons prima multos . . . . . (*Prolog.* lib. IV. *fabularum*)

(381) In ſuo *Traité hiſtorique, & dogmatique ſur les apparitions, les viſions, & les révélations particulieres* tom. I. chap. X. §. XIV. pag. m. 281.

(382) In *Anti-Baillet* Nimirum Baillet & de his, quæ neſciebat, judicium ferre haud cunctabatur. Sic (*Jugement* &c. cit. N. 1247. pag. 324.) hæc tuto

Digitized by Google

ſum, turpiter peccaſſe; Julium autem Scaligerum quid morer, qui tantum ſibi in Horatium ipſum permiſit, ut ſcriptam ab illo Poeticam ad Piſones licenter nimis damnare ſit auſus? Id, quod nullo ferens animo Vates e Carmelitico cœtu N. clariſſimus Joſeph Maria Pagnini ſibi temperare haud potuit, quominus ei attico, quod ajunt, ſale affricuerit (383):

Flacci·

---

pronuntiat: « Quoiqu'il y ait un grand nombre des poeſies du Mantouan, » qui ait vu le jour, nous ne pouvons pas néanmoins nous vanter encore de » poſſeder, par la gratification de l'Imprimerie, toutes celles, qu'il avoit » compoſées, ſi eſt vrai, comme on le publie, qu'il avoit fait plus de cin» quante cinq mille vers. » Scilicet, tribus prioribus tomis editionis Antuerpienſis, quam tamen ipſe etiam Baillet appellat (ibidem pag. 328.), ultra quinque, & quinquaginta verſuum millia contineri teſtis eſt, qui eos calculo ſubduxit N. Franciſcus Minucius (confer Lucium *Bibl. Carm.*, & poſt ipſum Villiers *Bibl. Carmel.* tom. I. col. 238.) Quod præproperum Baillet judicium, & Niceron notavit (*Mémoires* tom. XXVII. pag. 110.). Quamquam ſcripſiſſet utinam pauciora, ſed quæ antea, juxta Venuſini monitum (*Ad Piſones*) perfectum decies caſtigaſſet ad unguem! Fuiſſet id & legentibus magis utile, & magis ipſi glorioſum. (confer eumdem Baillet *Jugement* tom. I. part. II. chap. X. pag. m. 236.) Aſt, fateor,

Unicuique dedit vitium natura creato.
Propertius lib. II. *elegia* XVII.

(383) *Appendice* ad tom. II. collectionis græcorum Bucolicorum ΘΕΟΚΡΊΤΟΥ, ΜΌΣΧΟΥ &c. pag. 124.

Εἰς Ἰούλιον Καίσαρα τὸν Σκαλιγερόν.

Σκαλιγερὸς φῆ ἄτεχνος Φλάκκου τέχνη. Ἐμοὶ δὲ

Τοῦ στίχος ἀντὶ ὅλης Σκαλιγεροῖο τέχνης.

Jamvero fuiſſe & Scaligerum, & Baillet in Mantuanum iniquos ii pariter celeberrimi viri, qui memoriis Trivultianis litterariam ævi noſtri Rempublicam ditavere, exiſtimarunt (*Mémoires de Trévoux* 1753. tom. II. art. LXIV.): acerba enim vero hæc ſunt, ac virulenta nimis, quæ, ut Scaligerum ſileam, profert (cit. N. 1247. pag. m. 325.) Hadrianus Baillet: « Juſqu'ici nous n'a» vons fait, que nous divertir de notre Poëte, dans le deſſein de donner » lieu au Lecteur de méditer ſur l'induſtrie, que peut avoir un Poëte Régu» lier pour ſavoir allier les devoirs de la vie monaſtique avec le paſſe-tems » de la poeſie. » Quod ridiculum mihi videtur Bailleti propoſitum. I. Etenim a ſingulari, quod ajunt, ad generale concludit. II. Poeſim merum *paſſe-tems* habere videtur; quum tamen certo illud conſtituant poeticæ artis magiſtri, non delectare modo, ſed & prodeſſe Poetas. Conferantur in hanc rem, quæ ſcribit Quadrio (*Della ſtoria, e della ragion d' ogni poeſia* vol. I. lib. I. diſt. I. cap. III.). Ad alterum, quod objectat, ſi id animo inſtitutum erat Baillet monere Lectores, non poſſe eum, qui regularis vitæ muniis occupe-

Digitized by Google

Flacci ars arte caret: ſic Scaliger. Aſt ego Flacci
Verſum, præ cuncta Scaligeri arte, velim.

Porro ut ad Mantuanum N. noſtra regrediatur oratio, *ſa fécondité étoit ſurprénante*, inquit Moreri (384), ejuſque rei argumento eſſe ea poſſunt, quæ præ manibus habemus, illius ſcripta. Legantur vel unæ ejus *Parthenices*, tum, expedito præjudiciis animo, fateamur ingenue divina eſſe, ut cum Beroaldo dixerim, divini Baptiſtæ Mantuani poemata. Annon enimvero, ut id nunc exempli loco aſſumam, annon divina, quæ habet *Parthenices Marianæ* lib. I. (385)? Ut, quum vere novo, inquit de Annæ differens fœcunditate, ac ortu Mariæ:

Ut, quum, vere novo, tepefacta roſaria multæ
Veſtit frondis honor, primum dureſcit in orbem
Folliculus, barbæque comam producit acutæ,
Mox inflare ſinus, tunicaſque implere virentes
Incipit, & concreta diu, ſub cortice, proles
Turget agens rimas tenues, &, vertice ſummo,
Purpureas oſtendit opes, rubicundaque labra.
Poſtremo, quum pulchra ſuos aurora colores
Explicat, & vitreum glomerant nova gramina rorem,
Panditur omne decus, valviſque emiſſus apertis
Flos hiat, & læto arridet venientibus ore.

Annon

tur, idoneum colendis muſis, verſibus non utcumque incondito ſtrepitu pangendis tempus reperire, næ is rem eſt aggreſſus, quæ ipſis adnotationibus ſuis non bene ſatis cohæreat: agnovit enim & ipſe immenſam pene verſuum copiam ab Auctore N. perſcriptam; illud igitur critico certe doctiſſimo concedatur inepta eſſe Mantuani poemata; erit tamen illud indubium, eſſe eum potuiſſe paucioribus quidem, at iiſdem & adhuc multis, & accuratius longe deductis contentum, qua ſane hypotheſi, Mantuanus, etſi regularis vitæ occupationibus diſtentus dici, vel Baillet ipſo judice, meruiſſet optime utrumque ſimul conjunxiſſe & *les devoirs de la vie monaſtique*, & *les paſſe-tems de la poeſie*, uti, nec niſi magna cum laude, conjunxere, etſi regulares, Vida, Billius, Petavius, Corneille, Zanchius, Rapin, Ceva, Ricci, Cotta, Pagnini, alii admodum multi?

(384) Loco olim cit.

(385) Tom. opp. II. fol. 2.

Annon, inquam divina hæc? Annon rurſus, & quæ habet, Mariæ ad inviſendam Eliſabeth (386) hodœporico:

Plena Deo Mater, fœtuque animoſa latente
Trans juga, trans altos ſaxoſa cacumina montes
Se tulit ad ſera fœcundam prole parentem,
Cognatamque nurum partus viſura beatos,
Virgineoque ſinu parvum ſtructura nepotem.
Dumque viam carpit, pedibus calcata pudicis
Geſtiit immenſum tellus, & dulcia, longo
Tempore, ſervavit preſſo veſtigia dorſo.
Tota venuſtatem regio mirata, decuſque
Ætheriæ frontis, fuſumque per ora pudorem.

 Arriſit

(286) *Marianæ Parthenices* lib. II. Affinia legas, ſaltem quod inventionem, ac rerum ordinem ſpectat, apud Actium Sincerum Sannazarium *De partu Virginis* lib. II., ex quo tamen caveſis, ne excerpſiſſe aliqua Mantuanum ſuſpicere: abſoluta enim eſt ab Auctore N. Mariana Pathenice, anno, ut vidimus, M. CCCC. LXXXI., quo ſane tempore, nondum certe opus illud ſuum elucubraverat Sannazarus, qui, perpetuos viginti annos, eidem expoliendo, Jovio, Mireo, Teſſier, Baillet, Moreri, Vulpio teſtibus inſudavit: ortus enim, anno D. M. CCCC. LVIII. nequiverat libros illos, ab anno uſque M. CCCC. LXXXI. publicam in lucem emiſiſſe, ni opus hoc ſuum, anno ætatis III. exorditus. Quid ergo? An Plagiarius Sannazarus? Longe abſum, ut hoc feram de cl. viro judicium: etſi enim quædam ſunt penes utrumque Scriptorem, quæ ad ſe propius accedunt, velut Mantuani iſta:

Hæc anus; at ſenior, vocis cui clauſerat uſum
Imbecilla fides . . . .
Luna ter umbroſum radiis impleverat orbem . . . .
Parthenices I. lib. II.

ac illa Sannazarii:

Hæc Virgo; at ſenior, nullus cui vocis ademtæ
Uſus erat . . . .
Et jam luna cavum ter luce repleverat orbem . . . .
De partu Virginis lib. II.

Novi tamen, quod & facto Petrus Bayle confirmat, poſſe Auctorem alterum alteri, vel quin legerit, concinere, ingeniique affinitate quadam, eaſdem res, iiſdem pene verbis, efferre. Ad hæc ſatis quiſquam intelligit, multa eſſe poſſe in utroque, & Mantuani illo, & hoc Sannazarii poemate, affinia, quod normam uterque deſumpſerit ex Lucæ capp. I., & II.: ni id mavis aſſerere, ex lecta Mantuani Parthenice quædam Sannazarii animo defixa hæſiſſe, quæ poſtmodum ſcribens, facile ſit, vel quin adverteret, imitatus. Id ut non impoſſibile eſt, ita nec forte improbabile: quamquam non æquo plus conjecturis indulgeo.

Arriſit procul omnis ager, nemus omne virentes,
Exorto jam vere, comas curvavit, & ibat
In flores tunc omne ſolum, fragrantia rura
Purpureas paſſim violas, & candida paſſim
Lilia fundebant. Nitidis e fontibus undæ
Volvebant dulces, curſu crepitante, ſuſurros.
Aſſyrii colles aſſurrexere, Thaboris
Se juga flexerunt, Dominam ſpeculatus ab alto
Vertice Carmelus caput inclinavit apricum.
Coniferas pinos, & odoriferas cypariſſos
Blandior alternis flectebat nutibus aura,
Aura laborantis, tenui ſpiramine, circum
Colla, ſinuſque volans, & candida Virginis ora.
Terra ſuas monſtrabat opes, & lucidus æther,
Nubibus expulſis, vultu ridebat aperto.
Crinibus auratis, ſolitoque decentior acres
Sol urgebat equos, terſoque ardebat Olympo.

Annon rurſus divina, terſa, elegans ejus illa ad B. N. Soreth apoſtrophe (387)?

Mens mihi ſæpe fuit pro te quoque ſumere plectrum,
Atque tuas noſtro complecti carmine laudes,
O nivei quondam paſtor gregis, o Pater altæ
Rupis, & irrigui fontis, montiſque beati,
Cujus inacceſſis Vates habitaſſe ſub antris
Fertur, & eventus rerum ceciniſſe futuros:
Sed mea, ſopito ſtupuerunt ſanguine, corda,
Ut ſolet, hiberno tellus quum frigore torpet,
Poſtquam fama tui mæſtiſſima nuntia fati,
Triſtibus auſpiciis, Italas pervenit ad oras (388).

Omnia

(387) *In obitu Joannis Soreth Ordinis N. Generalis* tom. I. fol. 143.
(388) Obiit Andegavi, uti ſcribit anonymus Auctor, quem puto Rove-Knck, *De religionum origine* cap. XXVII. (apud cl. Edmundum Martene, & Urſinum Durand *Veterum Scriptorum*, *& monumentorum* tom. VI. col. 61. edit. Pariſ. in fol. M.DCC.XXIX.): oppetiit vero mortem VIII. Kal. Auguſti M.CCCC.LXXI., uti habet, in ejus vita, (cit. olim *Hiſt. chron.* pag. 140.) Marianus Ventimiglia, quo etiam loci tantam ſcribit fuiſſe vigilantiſſimi

Omnia tunc gelido riguerunt membra timore,
Tunc lyra lapſa manu, digitis tunc plectra remiſſis
Sunt colliſa ſolo, tremulo vox defuit ori.

Atque inde poſt pauca (389).

. . . . Sed jam cæli frons læta ſereni
Panditur, undoſumque minus jam murmurat æquor,
Humidus auſter abit, ſilet æther, atra recedunt
Nubila, purpureo ſol naſcitur aureus ortu.
Graminis aura tepens, florumque cacumina leni
Incurvans flexu gratos diffundit odores,
Atque, levi ſtrepitu, fugiens ſe frondibus altis
Inſerit, & ſomnos molli blandita ſuſurro
Concitat, & virides ludens circumvolat agros.
Jamque procul nobis pulſa caligine, tandem
Carmeli ſe monſtrat apex, vitreique redundant
Fontis aquæ ſuaves, quæ ſummo vertice lapſæ
Subjectos rimantur agros, & florida circum
Rura ſoporifero labuntur murmure, ſeque
In vicina brevi devolvunt æquora curſu.

Annon, quandoquidem hoc licet uti vocabulo, annon divina, quæ habet *Carmine panegyrico in Robertum Severinatem* (390)?

Ut, poſtquam, domito florens victoria regno,
Te reducem nobis dederit, cum laude triumphum
Accipiens curru venias invectus, & auro

 Splen-

hujuſce Paſtoris, pro credito ſibi grege, ſedulitatem, ac diligentiam: « Ut » de hujus Generalis ævo Baptiſta Mantuanus loquens merito cecinerit:

» Religio, & pietas Patrum inſtaurata reſurgit. »

Verum, quum extet is Mantuani verſiculus *Ecloga* X. ſcripta, ut vidimus (Nota 207.) anno M. CCCC. LXXXIV. ſuſpicari quis poſſit errorem hic cl. Auctori ſubrepſiſſe, quamvis non id ego tuto aſſeruerim.

(389) Fol. 144.

(390) Tom. III. fol. 199.

Splendidus, & niveos videas ſudare jugales,
Axe ſub aurato, ſparſis candentibus alta
Circum colla jubis, greſſuſque audere ſuperbos;
Sed frænis parere tamen, legemque magiſtri
Compoſito ſervare gradu. Deſcendet ab alto
Limine, ſolemni pompa plebiſque patrumque
Cinctus, & albenti gradiens in veſte Sacerdos
Maximus, immenſo magnum decus addet honori.
Nec Tarpeia tibi rupes, ſed ſumma petentur
Limina, ſidereo poſuit quæ Roma Tonanti,
Clavigeroque Patri, ventis ubi cymba ſecundis,
Navigat in tutos, ſpumoſa per æquora, portus.
Roma coronatos paſſim per compita funes
Ducet, & extenſo claudet velamine cælum,
Per celebres aulæa vias ſuſpendet, & omnis
Vicus odorato late ſpirabit amomo.
Tum tuba pacificos cantus, alternaque reddet
Carmina, partitis vicibus, tunc tibia dulces
Ad numeros inflabit ebur, totoque ſonabunt
Æthere plaudentes populi, ſonus omnibus idem
Lætitiæ confuſus erit, ruet undique magnum
Multiſonæ pelagus turbæ, tibi geſtiet omne
Limen, & ex alto ſpectabunt culmine matres.
In vultus converſa tuos ſuſpenſa manebit
Roma diu . . . .

Quid adhæc illa memorem, quæ canit idem lib. *Sylvarum* II. (391) ad Pamphilum Saxum Mutinenſem?

. . . . Tunc eſt placidiſſima cælo
Temperies, tunc eſt felix, opulentaque tellus,
Denique tunc urbes, ſtrepitumque peroſa voluptas
Fert ſpatians alacrem per rura virentia greſſum.
Si captare feras, & opaca invadere luſtra,
Venatuque acrem juvat exercere juventam,

Retia

(391) Tom. III. fol. 269.

Digitized by Google

Retia, tela, canes, arcus, plenamque pharetram
Præbet, & accincto tibi militat agmine luna.
Si libet ardentem, quum ſol volat altius, æſtum
Evitare, ſoporque oculis blandiſſimus inſtat,
Sternit humum formoſa Dryas, gelidaque ſub umbra,
Gramineos parat accubitus, ubi mollibus auris
Mota ciet lenem quercus frondoſa ſuſurrum
Ad rivi ſalientis aquas, ubi plurima garrit
Ales, odorati pingunt ubi gramina flores.
Quod ſi prædari fluvios, & aquatica regna
Et Glauci delectat opus, maculoſa per amnem
Lina moves, amnem, cujus vada vitrea ſulcant
Tergo albi lucente greges, vel, arundine mota,
Piſcem agis herboſæ recubans in margine ripæ,
Et prædæ arridens eſca rurſum induis hamum,
Gaudentemque ſuo fallis diſcrimine turbam.
Si placet aut laqueo volucrem, vel fallere viſco,
Aut aliis petere inſidiis, ut ab æthere lapſus,
Fulminis inſtar, avem feriat pede, pectore, & ore
Vultur, & aeriæ ſpectacula cernere pugnæ,
Hæc nemus, hæc valles, hæc dant tibi gaudia campi.

Sed & quidnam alia hac venationis deſcriptione terſum magis, atque vividius (392):

Venatum Rex ire parat, properata vorantur
Prandia, pars jentant, ſunt, qui venatica tollant
Retia, ſunt, qui vincla canum ſetoſa lacertis
Innodent, raucoque animent cava cornua cantu.
Luſitana alii parvis haſtilia roſtris
Longa ferunt, aurito alii venabula ferro.
Latratu longe arva ſonant: iterata vocantum
Vox, crebro clamore, canes in nubila tendit.
Itur in antiquos ſaltus, ubi denſa ferarum
Luſtra ſilent, canibus per opaca ſagacibus antra
Immiſſis

(392) *Trophæi Gonzagæ* lib. IV.

Immiſſis, hinc grunnit aper, factoque per umbram
Agmine, ſpumantes acuit, cum dentibus, iras.
Hinc lupus arrectis ſe proripit auribus, illinc
Attonitum cervus tollit caput, atque repente
Damarum, leporumque greges per devia, curſu
Præcipiti, nemus omne agitant, clamoribus echo
Reſponſura vagis, dum multa repercutit, auget
Murmura confundens voces hominumque, canumque.
Stant circum ſylvas equites, prædamque parati
Expectant, nec jam patitur ſua lora moloſſus.
Sparta rapax gemit, & latrat, detrectat habenas.
Ecce ingens ruit e ſylvis, ac, fulminis inſtar,
Fertur aper, qualem vidit Calydonia quondam
In campis, Meleagre, tuis: ad ſidera clamor
Tollitur, it longis falcato bellua rictu
Dentibus, ignitis oculis, dorſoque recurvo,
Hiſpida, & arrectis, quaſi ſentibus, horrida ſetis.
Dant canibus curſus, equites, pediteſque ſecuti
In cuneum ſe ſe extendunt: fera clauſa tumultu
Multiplici nunc hac roſtro, nunc dimicat illac.
Qua trucibus rictum ciliis porrexerit, hoſtem
Submovet in tergum: latrant, nec cominus audent
Attrectare canes. Tum Rex calcaribus urgens
Quadrupedem Lybicum prætervolat, atque retrorſum
(Tantus erat magnæ vigor, atque induſtria menti)
Converſa fugiens apri caput impetit haſta,
Quæ valide impacto ſubiens mucrone cerebrum
Non eſt vulſa manu, ſed fixa tenacius hæſit,
Pondereque oblongo caput inflectente ſiniſtrum
In latus, it converſus aper, mox tota repente
Turba hominumque, canumque ruens oppreſſit inermem.

Annon iterum exacta hæc, graphiceque depicta cadaveris, mortiſque deſcriptio (393)?

.... Ut

(393) *Alphonſi* lib. II.

. . . . Ut limina contra
Aſtitit Alphonſus gelidæ male-olentia mortis,
Subſtitit, & tenebras oculis ſcrutatus inanes
Proſpicit excurſus, piceo ſub fornice, longos,
Incertamque diem, calligantesque receſſus.
In medio accumbens ſuper alta cadavera monſtrum
Corpora lambebat fluido ſtillantia tabo,
Monſtrum ingens, cui flexilibus frons orba colubris
Cingitur, effuſi liquere ſedilia dentes
Concava, truncatis deformia naribus ora
Oſtendunt inhoneſta cavi duo verticis antra.
Occiput aure caret, geminæ ſed utrinque cavernæ
Semper hiant, tetroque fluunt in pectora tabo.
Verticis os glabrum, cervix nodoſa, lacertos
Nulla ligat junctura humeris, ſine viſcere coſtæ.
Arida membra ſonant motu colliſa, ſub alvo
Tecta ſepulcrales hydri poſuere, cubantque
In thorace cavo coluber, nepa, vipera, bufo.
Stant famulæ circum dominam pallorque, timorque,
Et dolor, & peſtis, quæ nigro armata veneno
Obvia tranſadigit lethalibus inguina telis:
Alciden dedit ipſa neci, qui vicerat hydram,
Qui Japhytas, qui Centauros, & cætera monſtra.
Atque tridentifero febris metuenda lacerto,
Vulgatum, & commune malum, quod fortia ſternit
Corpora, & extremis gaudens nunc ignibus ardet,
Nunc tremulo contracta gelu ſtridentibus alget
Faucibus, & quærit frigenti incendia tergo.
Et tenuis ſine ventre (*) fames, & ſemper hiulca
Fauce ſitis . . . . . .
Omne maraſmorum genus, & ſine voce ſynanche,
Improba, mordaci ſerpens prurigine lepra,
Et caput involvens nebulis lethargica moles. &c.

Quid vero nunc dixerim de iis, quæ habet diſertiſſimus idem Auctor ſuper Chriſti Nativitate (394)?

Tota

(*) *Ventris erat pro ventre locus* . . . . inquit de fame Ovidius.
(394) *Faſtorum* lib. XII.

Digitized by Google

Tota ſub Auguſto, gemini quem limina Jani
Ter clauſiſſe ferunt, tellus pacata ſilebat,
Sævaque depoſitis Bellona quieverat armis,
Quum bona tam felix pepererunt ſidera tempus.
Roma triumphatum ſcribi mandaverat orbem,
Solemnemque dari ſibi regna per omnia cenſum.
Et, quum quiſque ſolum peteret natale, ſuamque
Tenderet in patriam, ſenior (395) cum conjuge Joſeph
In

(395) Hæc ex recepta olim opinione: videlicet non ſenem illum fuiſſe exiſtimant Sandini (*Hiſtoria Familiæ ſacræ* §. IV. de S. Joſeph), ac, ut ſileam reliquos, (*De ſacrarum imaginum hiſtoria* lib. III. cap. XII.) Joannes Molanus, *Theſauri theologici* a Zaccharia collecti tomo IX.
De SS. hoc Patriarcha illa jam & præclare, & poetice expreſſa cecinerat (*Marianæ Parthen.* lib. III. fol. 37.):

. . . . Veterem patriam Davidis Joſeph,
Cum conſorte gravi Bethlemica regna petebat.
Jamque ſuburbanas ædes intrarat, & urbem
Turba frequens complebat, erant plena omnia multo
Hoſpite, & ingenti ſtrepitu, plenæque ſonabant
Confuſo clamore domus, promiſcua vulgi
Congeries atra ſub apertis nocte jacebant
Porticibus, nulloque tegi vagus advena tecto
Jam poterat; ſicut, populo quum maximus omni
Pollicitus veniam ſcelerum, poſt quina Sacerdos
Luſtra, vocat turbas Romana in Templa fideles.
Propterea exeſi montis ſub rupe cavata
Ligna ſenex ramoſa ferens ex arbore cæſa
Parvula congeſto fixit præſepia fœno,
Et circum jumenta locans aſinumque, bovemque
Fraxinea ſtravit ſaxoſa cubilia fronde,
Fomiteque appoſito circum, de marmore flammas
Excutit, & claris noctem fugat ignibus atram.
Binaque ſaxa viæ lapidoſo ex aggere vellens,
Pronus humi duo ſcamna brevem convolvit in uſum,
Admotaque uxore focis, ſtridentia poſtquam
Ligna diu lachrymas, nebulaque humente vapores
Ejecere graves oculis, & libera pulſis
Undique flamma micat fumis, ſpelæa ligato
Claudit, & hybernum prohibet velamine frigus.
Mox inopem e dorſo cœnam deportat aſelli.
Cantharus, & paſſæ, Cereris cum frugibus, uvæ,
Carica, juglandes, &, cum cariotide, mala,
Et ſiliquæ dulces, & parvi caſeus orbis.
Delitiæ ruris nocturnæ hæc pabula menſæ.
Ut dapibus ſedata fames, de tempore partus
Colloquium ſubiit, nonum jam currere menſem,
Nataliſque inſtare dies ut conſtitit, orant,

In Bethlehemeos ducens aſinumque, bovemque (*)
Venit agros, quia ab oppidulo deſcenderat illo.
Hoſpitibus vero quum plena frequentibus eſſent
Undique tecta, larem parvo ſibi legit in antro.
O memoranda dies, & aperto ſplendida cælo!
Nox erat, & Capro junctus, tellure ſub alta,
Sol gradiens noſtri radiabat ſidera cæli.
Cancer in excelſo ſtellati cardine mundi
Stabat, in occaſu, qui fert in vertice delta
Dux ſignorum Aries: Libræ duo brachia in ortu.
Quum ſoboles Divina novem jam menſibus acta
Prodiit, & Chriſtus terris apparuit infans.
Mox jubar immenſum, ſine lumine ſolis, & ignis,
In tenebris ortum toto reſplenduit antro.
O lux, quæ noſtri decus es, & gloria ſecli!

Ante graveſcentem ne ſarcina deſerat alvum,
Quam patrium limen repetant, notoſque penates.
Propterea, tardæ quantum valuere ſenectæ
Invalidæ vires, Mariæ curam adhibet omnem,
Sollicita pietate, Senex. Jam languidus ignis
In cineres ibat, levibuſque albere ſavillis
Ceperat, & blando nutabant lumina ſomno.
Veſtibus explicitis, ægra cum conjuge feſſus
Procumbit ſenior, tepidoque obductus amictu
Stertit, anhelanti ſtertit ſpelunca ſuſurro.
Deciderant umbræ nemorum, ſine crinibus omnis
Arbor erat, nidoſque avium monſtrabat inanes . . . .
Attulerat medio nox alta ſilentia curſu,
Aſtraque per tenebras tremulis ardentia flammis
Luſtrabant dubio frigentem lumine terram.
Occiderant ignes, & calligaverat antrum:
Quum ſubito Matris clauſa Puer editus alvo,
Expulit umbroſam, cæleſti lumine, noctem.
Advenere chori Superum, promptique, agileſque
Dulce miniſterium nato exhibuere Tonanti,
Et dulces cecinere modos. Tulit ora repente
Territus hac novitate Senex, & ſtrata cubili
Membra levans Pueri Numen recubantis adorat.

(*) Aſinum in Bethlehem duxerit Joſeph; at bovem quoque eo ab ipſo traductum non facile credat amicus lector; quin nec puto id creditum Mantuano; etſi forte nec defuere qui id opinarentur, quibuſque licet aſſentiretur Mantuanus, non inde tamen (nam hoc potiſſimum quæro) non optimus eſſet muſarum cultor; imo nec tum certo erraſſe dici poſſet, quippe id demum non certo conſtat.

Tum ſubito, ex ſe ſe, quam non acceperat, ortam,
Progeniem (396) cernens, tanti miracula partus
Mente volutabat genitrix, oculoſque ſilentem
In puerum fixos admirabunda tenebat,
Et genua inſiſtens, palmis ad pectora junctis,
Numen adorabat latitans ſub imagine noſtra.
O veneranda dies cunctis prælata diebus!
Ecce chori Superum magnis pæana ſonantes
Cantibus aſſiſtunt timidis paſtoribus: (O res,
Numquam viſa prius!) Divi paſtoria corda
Sollicitant, puerique docent cunabula nati.
Paſtores igitur caulis abiere relictis,
Videruntque ſuum natum de virgine Numen (397).
O miranda dies naſcenti conſcia Chriſto!
Hac quoque (*) nocte, Magi clarum videre cometam
Impendere jugis, cæloque ardere ſereno.
Hic eſt ille Puer, de quo vulgata per orbem
Carmina fatidicæ quondam cecinere Sybillæ (398),
Tan-

---

(396) Ambiguus hic locus, quo vel indicat aſpexiſſe Mariam filium ex ſe, quin adverteret, editum, juxta illa, quæ habet (*Mariana Parthenices* lib. III. fol. 38.).

Jam levis, &, partu, nullos experta dolores
Suſtulit inſantem Virgo . . . .

vel, quo innuit genuiſſe illam puerum nullo humano ſemine ſuſceptum, ceu habet clarius (lib. II. *Marianæ Parth.* fol. 27.), ubi ſic cæleſtem Paranymphum eam alloquentem inducit:

Pone metus, inquit, Superis gratiſſima Virgo,
Lætus ab ætherea venio tibi Nuntius arce
Æterni jucunda ſerens mandata Tonantis.
Conceptura novos, ullo ſine ſemine, fœtus,
Et prolem paritura Dei, Materque futura es
Stirpis olympiacæ tactus non paſſa viriles.

(397) Alibi: *Et videre Deum propter jumenta cubantem*. Reperta inibi muta hæc animantia contendit Sandini: *Hiſt. fam. ſacræ*. cap. I. de Chriſto §. VIII.

(*) Quia tamen, ut viſum nonnullis, ingens itineris ſpatium cito nimis confeciſſe dicendi ſorent Magi, hinc, vel non citra miraculum, viam eos abſolviſſe, vel & eis ſtellam, antequam Chriſtus naſceretur, apparuiſſe ſcribit, lib. *Faſtorum* I. Auctor N. quamquam forte neque ad hæc confugiendum.

(398) Extitiſſe illas ſeu pauciores, ſeu plures contendit nuperrimus e Carmelitico cœtu meo Theologus Petrus Thomas Santabarbara (*Critice Apologe.*

Tantaque concordi Vates præſagia cantu.
Iſte ſuo adventu renovat Puer omnia, leges,
Sacra, Sacerdotes, ſecum nova ſecula portat,
Nec contentus erit Judæi limite Regni;
Sed faciet gentem Regnis ex omnibus unam,
Imponetque ſuo tractum de nomine nomen
Gentibus, & Regnis uſque ad confinia terræ
Ultima, & obſeſſis circumfuſo æquore terris.
O præclara dies omni memorabilis ævo!
Ite Lares procul inferni, diſcedite templis,
Gloria veſtra ruit, veterem deponite faſtum.
Delphice claude fores templi fallacis Apollo,
Cortinam, tripodaſque ferens cervice ſub orcum
Labere, & ad ſtygias tua fer reſponſa lacunas.
I Venus in tenebras, & tu, Saturnia Juno,
Cum Jove, majeſtas vobis quum nulla ſuperſit
Amplius in terris. Erebi diſcedite ad umbras.
Rex verus ſua Regna ſubit, procul ite Tyranni,
Ponite perſonas, &, quos rapuiſtis, honores.
Hic Puer, hic Infans eſt, qui Titania fecit
Sidera, qui ſolem docuit conſurgere, ab ortu
Tendere ad occaſum, quo tempora quatuor anni
Ordine partiri, terriſque infundere poſſet
Semina tot rerum: tanta eſt in corpore virtus
Exiguo, teneris tam mira potentia membris.
O dilecta dies albo numeranda lapillo!
Ætherei Patris manet alta mente repoſtum,
Et latet in membris Verbum mortalibus (O res
Quæ caret exemplo!). Pietas Divina ferendæ
Hanc opis eſt meditata viam, deſcendit ab alta
Majeſtate volens humili ſuccurrere mundo.
O jucunda dies alacri digniſſima plauſu!
Iſte Puer ſiccis ibit ſuper æquora plantis,

 Ven-

---

tica veterum Eccleſiæ Patrum adverſus Joannem Dallæum, & Joannem Clericum tom. I. diſſ. II. §. IV.), ubi illa potiſſimum excepit, quæ, pro adverſariorum ſententia, a Baſnage, l'Herminier, ac Dupin congeruntur. Præiverat illi Honoratus a S. Maria tom. iiv. diſſ. II. *Reflexions &c.*

Ventorum, pelagique potens dominabitur orco,
Et ſtygiis revocabit aquis in corpora vitas
Quum volet: ægrotis ejus divina voluntas
Infundet, quoties erit implorata, ſalutem,
Et quandoque prius: nobis amor illius ingens,
Non expectatis precibus, ſuccurrere novit.
O lux fauſta novos inter celeberrima faſtos,
Qua Deus incepit fracto ſuccurrere mundo!
Aſpicite, ut nobis hodie ſe credidit alto
Æthere deſcendens, noſtras ſe miſit in ulnas,
Pauperis hoſpitii ſordes non horruit Auctor
Noſter, & humanis oculis apparuit ipſe
Rerum opifex. Quod ſi cauſam, quæ moverit illum,
Quæritis, hoc pietas opus admirabile fecit.
O Nox, quæ ſuperas lucem ſplendore diurnam!
O Nox delicias, Nox, quæ fers omnia tecum
Gaudia! Nox omni major, meliorque triumpho!
O Nox, Angelico cantu, quæ ſola fuiſti
Digna frui! Nox fauſta die feſtivior omni,
Qua Deus in terras nectar pluit, ambroſiamque,
Mannaque, coritioſque crocos, & Hymettia mella!
Salve, Sancte Puer, ſecli venientis origo,
Progenies magni ſemper manſura Tonantis,
Sis bonus ætati noſtræ, miſerere tuorum,
Et tua ſit ſemper miſeris clementia portus.

Annon iterum eximia plane, annon præclara, divina, quæ habet.... Verum nolumus, quod facile ipſe Mantuanum legens obtineas, nulla hic urgente neceſſitate, conari pluribus, unumque id monuiſſe ſufficiat, Mantuanum egregiis operibus ſuis, nedum immortalis famæ gloriam ſibi, poſt fata, promeritum, atque vel apud ipſos rei poeticæ magiſtros, Joannem Deſpauterium (399), Raviſium Textorem (400), Hermannum Torrentinum (401), Bartholomæum

(399) *Verſificatoriæ* lib. III. tit. U. *ante conſonantem in primis ſyllabis* V. *Buchar.*, *Rugio*, *Hugo*.
(400) *In Epithetis*.. quavis fere pagina.
(401) *In Dictionnario poetico* V. *Ælice*.

mæum Botta (402), Nicolaum Nemeſejum Charmantium (403), *Regiam Parnaſſi* (404), *Phraſeologiam poeticam* Taurinenſem (405), magno ſemper in honore habitum, quem-

---

(402) In Hieronymi Vida lib. II. *Chriſtiados*.
(403) *In Parnaſſo poetico*, ubi *De ſacra poeſi*.
(404) Paſſim, ut in *Elias*, *Achab*, *Anna*, *David*, *Jezabel*, *Joſaphat*. Adde his Henrici Smetii Aloſtani *Proſodiam*.
(405) Voce *Abel*, & alibi. Ibidem tamen, *Indice vocabulorum controverſorum* pag. 926. edit. M. DCC. LVI. arguitur Mantuanus, quod ſecundam in *Helvetii* corripuerit: nimirum ait hic *de bello Veneto*, ut loca alia ſileam:

Helvetii, genus armipotens, Ferraria, Manto.

verum, ut univerſam hanc rem, quoad licebit, deproperem, dignetur Phraſeologiæ collector alterum ex Taurinenſibus Rhetorices Profeſſoribus ſecundam quoque ſyllabam in voce illa corripientem audire:

Mox, ubi & Helvetios contra, Galloſque propinquos.

inquit (*De Syndone Taurinenſi* appendice pag. XVIII.) cl. Joannes Bernardus Vigo, qui rurſus (ibidem pag. L.)

Fœdereque Helvetii, auſpiciis felicibus, ante.

hujus autem Viri latina, græcaque eruditione ſpectatiſſimi quanta ſit, ut aliis in rebus, ita & in hiſce potiſſimum auctoritas ſeu nuper laudatum ejus poema, ſeu præclara alia, quæ edidit, quibus longe, ac late ejus apud literatos ſama pervagata eſt, palam teſtantur: quin & per ipſammet *Phraſeologiam* brevis eſt ſyllaba iſthæc (lit. H. pag. 411.) ex Mantuani ipſius auctoritate, cujus etiam hic verſus pro figenda ejus ſyllabæ quantitate adducitur:

Helvetii tibi dura acuunt venabula, & enſes. *Mant.*

quamvis nihil ex id genus exemplis in rem vel adverſariorum, vel noſtram erui poſſe putem, quum, qui longam velit, *ſynæreſi* poſtremam ſyllabam efferat, ſecus, qui brevem, quin eamdem corripientibus favere ullatenus poſſit græca ortographia ἐλουήτιοι. Nam I. vox illa græca non eſt. II. Ultimam in Σαλῆς duplici nomine, apud Græcos longam ab Auſonio corripi, aliaque id genus ab aliis obſervat (*Inſtitutionum linguæ græcæ* lib. III. cap. XXVII.) Jacobus Gretſerus. Quæ omnia demum etſi ſufficere hic poſſent; libet adhuc tamen eum recolere Sannazarii pentametrum:

Ductaque bis pulſos ſigna per Helvetios.
Elegiarum lib. III. eleg. I. diſt. LXX.

Sed & alia eſt, eodem loci (pag. 927.), in Mantuanum criminatio: » Thymiama, atis, nec imitandus Mantuanus, qui primam corripuit. » (V. ejus hymnum in D. Albertum) Sed eccur non imitandus? Sane Calepini *Decaglotta* primam illam corripit, uti & in affinibus vocabulis *Thymiamaterium* &c. tom. II. pag. m. 694. At quoniam lego apud Propertium lib. II. elegia XIX.

Grata domus Nymphis humida Thymiaſis.

Digitized by Google

quemadmodum optimis Scriptoribus aliis, Poetis vero præſertim evenire ut plurimum ſolet, utque, ipſe ſibi Poeta N. Horatium (406) imitatus veluti ſpondebat (407), *Vitæ ſuæ Epitome*; verum, & quam laudem viventibus coœvorum invidia (408) denegare ſuevit, eſt ipſe vivens adhuc ultro, feliciterque aſſecutus, quod & Beroaldo adnotatum (409), ut illud merito uſurpare Mantuanus potuerit, quod olim de ſe eſt ab Ovidio dictum lib. IV. *Triſtium* eleg. ult.

Gratia

---

dicamus ultro ſyllabam illam ancipitem, indicique vocabulorum *controverſorum* inſerendam; ergone non imitandi, qui illam corripiunt? Annon primam in *Cyane*, quæ ex Phraſeologia brevis eſt, & producit, & corripit idem non ſibi conſtans Ovidius?

Cognita Cyane, præſtanti corpore Nympha.

Et alibi.

Quaque ſuis Cyanem miſcet Anapus aquis.

Conferatur, qui hæc, qui alia his affinia, ac numero plura exempla adducit Poetæ N. Apologiſta frater ejus Ptolemæus (*Corollario de licentiis Poetarum* tom. IV. opp. Mantuani pagg. 189. 190. &c.) Nolim hinc tamen noſtræ huic Phraſeologiæ quidpiam detractum: quin læta ſemper mente, recolant expolitioris literaturæ cultores induſtriam, atque ſolertiam, qua vetus *Regia Parnaſſi* in lectiſſimæ juventutis commodum a cl. Ricolvi, novæ hujus Phraſeologiæ ope, emendata eſt, aucta, illuſtrata, collectaque ex aureæ præſertim ætatis Scriptoribus diviti locutionum ſegete, locupletata.

(406) Lib. III. ode XXX. dicentem.

. . . . Multaque pars mei
Vitabit Libitinam . . . .

(407) *Vitæ ſuæ epitome* diſt. 12.

Plurima conſcripſi, quæ ſi ventura probabunt
Secula, durabit nomen in orbe meum.

(408) Eſſe quid hoc dicam, vivis quod fama negatur,
Et ſua quod rarus ſecula lector amat?
Hi ſunt nimirum Invidiæ, Regule, mores,
Præferat antiquos ſemper ut illa novis.
Martialis lib. I. *Epigr.* X. ad Regulum.

(409) » Merito itaque vivens ea fruitur gloria, quam poſt cineres pauciſ» ſimi conſequuntur, eamque vivus ſentit, quæ poſt fata præſtari magis ſo» let, venerationem. Intereſt poſteritati ſuæ, monſtraturque digito præte» reuntium, nec ſolum habetur in manibus, & ediſcitur, verum etiam in

Gratia Muſa tibi: nam tu ſolatia præbes,
Tu curæ requies, tu medicina venis,
Tu mihi, quod rarum eſt, vivo ſublime dediſti
Nomen, ab exequiis quod dare fama ſolet.

Libens nunc, coronidis loco, attexam Joannis Alberti Fabricii (410) de Mantuano N. judicium. « Joannes Baptiſta » Hiſpaniolus patria Mantuanus, eoque notior nomine, » Carmelitarum ab anno M. D. XIII. Prior Generalis, diem » obiit in patria, anno M. D. XVI. ætatis LXVIII. Poeta » inſignis, ut ſummorum virorum judicia a Chriſtiano Daumio in libro *De cauſſis amiſſarum radicum Latinæ linguæ* pag. 79. ſeq. notata, & Laurentius Cupærus, in » præf. operibus Mantuani præmiſſa, & Petrus Lucius, in » Bibliotheca Carmelitana, adverſus Jovium diſputans, longe magis autem operum ipſius inſpectio Lectori erudito, » & æquo facile perſuadebit. Quamquam audiendus etiam » fortaſſe Ludovicus Vives, qui pag. 299. libri III. *De tradendis diſciplinis* « Magis copioſum, & facilem, quam » terſum, & ſublimitati argumentorum reſpondentem notat.

» ſcholis enarratur, & inde ſaluberrima tyrunculis dictata Grammatiſtæ præ» ſcribunt. » Inquit Philippus Beroaldus, loco nota 355. citato. Sed & Mantuanus audiatur, qui adverſariorum obtrectationibus aliquando vexatus hæc ad fratrem ſcribebat (*Epiſtola contra calumniatores* tom. IV. pag. 69.) » Libet hic, o Ptolemæe, quia & licet mihi apud te libere loqui, & tecum » apte expoſtulare, quum res poſcit, de me, & pro me pauca loqui . . . . » Me namque oportet mei eſſe memorem, qui cenſores ſortitus ſim tam au» ſteros. Leguntur ubique libelli mei, & videntur eſſe totius orbis judicio » approbati; non omnes tamen, ſed, qui jampridem ſunt editi, ac Bononiæ » per Benedictum Hectoris impreſſi; fere enim in totum Chriſtianiſmum per» venerunt, quacumque latina lingua eſt diffuſa . . . . Veniunt ad me » crebro epiſtolæ ex Galliis, ex Brittanniis, a Germania, ex Dacia, ab » oceano uſque Cimbrico, quibus intelligo opuſcula mea illic eſſe in pretio, » ab omnibus legi, ab omnibus laudari. »

Si quem delicatulum hæc offendant, meminerit hæc, privata epiſtola, ſcripta, & ad fratrem ſcripta, & animi levandi cauſa; videlicet

Eructare ſuos quædam eſt medicina dolores.

Cæterum nec magnorum virorum eſt meritas laudes quandocumque, & quocumque modo reſpuere. Dignum, quod in hanc rem legatur Gregorii cognomento Theologi carmen *Ad Nicobulum*.

(410) *Biblioth. mediæ, & infimæ Latinitatis* lib. II. pag. m. 169.

» tat. Certe iniquam puto Dempſteri cenſuram, cui *Poeta* » *perbarbarus eſt, & corruptus*. Itaque potius probo Bal- » thaſſaris Bonifacii judicium lib. XV. cap. III. *Hiſtoriæ* » *Ludicræ*, cui Mantuanus « Patria Maronis haud indignus, » & inter Myncii Cygnos numerandus, Ovidio, quam » Virgilio propior, licet ab utroque longo intervallo di- » ſtans, venæ, etſi non uſquequaque puræ; uberrimæ ta- » men, miræque felicitatis, & facilitatis in rebus explican- » dis. » Quod ſi, ob nævos quoſdam, qui in meditata ejus carmina incurrerunt, Poetæ gradu ſit is dejiciendus, illud caveat ſeverior criticus, ne ipſam quoque *Æneidem* aut cum (411) Virgilio ejus Auctore flammis deſtinandam arbitretur; aut Maroni ipſi, quod auſus eſt Harduinus (412), adjudicet; quot enim non in illa animadvertit hic idem inepta, inconcinna, ſolœca, barbara? Cæterum, quod jam monuimus, non illud propugnamus, Auctorem N. aureæ linguæ Poetis comparandum; at certe non prorſus infelici exitu conatum, ut, ſin minus tantam ingenii præſtantiam, eloquiique flumen aſſequi poterat; ad eam tamen, quoad licuiſſet, proxime accederet, quam rem libeat fortaſſis lectori, ut, aliquot adductis exemplis, nitidius nunc explicemus. At enim vero ecquis non id manifeſto comperiat, quis non hoc ſibi actutum perſuadeat, ubi ſecum attente reputet (*) haud

---

(411) Bayle *Dict.onn.* art. *Virgile*. Rem. G.

(412) In *Pſeudo-Virgilius* operum pag. 280. & ſeqq. edit. Hagæ-Comitum in folio M. DCC. XXXIII.

(*) Unum id, hoc loci, animadvertimus Poetam N. quum ſcribenti illi auctor aliquis, quem imitaretur, occurreret, paraphraſi libenter uti ſolitum, ſeu, quod, quæ dicta jam aliis fuerant, hæc ipſe nitidius conaretur exponere; ſeu, quod imitator, non exſcriptor videri ſatageret, id, quod aperte videas in his, quæ ſpeciminis loco, apponimus ejuſce rei argumentis.

Lucretius (*De natura rerum* lib. VI. ỳ. 51. 52.)

Quorum operum cauſas nulla ratione videre
Poſſunt, hæc fieri Divino Numine rentur.

Mantuanus (*Faſtorum* lib. II. in S. Matthia)

Quiſquis enim neſcit rerum dignoſcere cauſas,
Effectus, ut ſcire aliquid videatur, Olympo
Imputat: ignorans iſtis defenditur armis.

haud potuiſſe Mantuanum; ea, qua vivebat, ætate, in celebrem adeo Poetam evadere, quin aureis Latinæ linguæ

R Scripto-

Virgilius (*Æneidos* lib. I.)

. . . . Dictis mœrentia pectora mulcet:
O ſocii, (neque enim ignari ſumus ante malorum.)
O paſſi graviora: dabit Deus his quoque finem.
Vos & Scyllæam rabiem, penituſque ſonantes
Acceſtis ſcopulos, vos & Cyclopea ſaxa
Experti: revocate animos, mœſtumque timorem
Mittite. Forſan & hæc olim meminiſſe juvabit.
Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum
Tendimus in Latium, ſedes ubi fata quietas
Oſtendunt. Illic fas regna reſurgere Trojæ.

Mantuanus (*Parthenices* II. lib. III.)

Alloquitur comites, turbataque pectora firmat.
O Socii mecum terræ, pelagique labores
Experti toties, longæque pericula paſſi
Militiæ, quid vos terret præſentia mortis,
Quæ celerem curſu zephyrum, volucremque ſagittam
Vincit? Ubi fortes animi, generoſaque virtus,
Cordaque ad horrendos numquam perterrita caſus?
Ponite triſtitiam, rectos attollite vultus.
Cernite perpetuo fulgentem lumine mundum,
Æthereaſque domos. Animis ea patria noſtris.

Horatius (lib. IV. ode IV.)

Fortes creantur fortibus, & bonis.

Mantuanus (*Alphonſi* lib. I.)

In ſobolem tranſire patris cum ſemine virtus
Sæpe ſolet, refertque, ſatus quo quiſque parente eſt.

Horatius (lib. I. epiſt. VI.)

Quicquid ſub terra eſt in apricum proferet ætas.

Mantuanus (*A'phonſi* lib. III.)

Cuncta aperit ſecreta dies. Ex tempore verum
Naſcitur, & veniens ætas abſcondita pandit.

Seneca Tragicus (in *Agamemnone* choro actus I. ℣. 6. 7.

Alia ex alia cura fatigat,
Vexatque animos nova tempeſtas.

Mantuanus (in *Sylvis* ad Sabadinum)

Digitized by Google

Scriptoribus & diu, & multum inſudarit (413). Quod nequit equidem non magnam illi gloriam, ac laudem pe peperiſſe;

Nunc animus curis coquitur, nunc corpora morbo,
Et ſtimulos affert quælibet hora novos.

Claudianus (In III. *Conſulatu Stilichonis* v. 113. &c.

Fallitur egregio quiſquis ſub Principe credit
Imperium: nuſquam libertas gratior extat,
Quam ſub Rege pio . . . .

Mantuanus (*In Sylvis de adventu Sabelli Bononiæ Legati*)

Libertas eſt ſumma bonis ſub Principe juſto.
Roma, ſub Auguſto poſtquam pacata fuiſti,
Quæ tibi libertas potuit contingere major,
Quæ tibi Trajano melior ſortuna reluxit?
Felices igitur populi, quos vivere Divi
Concedunt ſub Rege pio . . . .

Ovidium ſilemus, Statium, Manilium rurſus, ac ſequioris ævi Poetas Auſonium, eique familiarem Paulinum, Boetium item, ac Prudentium, quos, ea ratione, ſæpicule imitatum Mantuanum facile utrorumque comparatione eruditus lector intelligat, qui ſane haud mirabitur Auctorem N., quum carmine ſcriberet, Poetarum & ſenſus imitatum, & verba, quum, vel ubi ſoluta uteretur oratione, Poetarum ipſiſſima verba perquamfrequenter uſurparet. Id videas, & ſolis *De patientia* libris, quorum I. cap. III., & lib. II. cap. XXX., & lib. III. cap. pariter XXX. Ovidium. Lib. I. cap. IV., & XIII. Horatium. Lib. I. cap. IV. XVII., & XXVIII. Maronem. Lib. II. cap. XXV. Lucretium. Lib. II. cap. VIII. Manilium. lib. III. cap. XXIV. Lucanum. Lib. I. cap. XXI. Claudianum exſcribit, ut nihil hic de Græcis adjiciam, de quibus opportunior recurret aliqua adnorandi locus, utque nec memorem Juvenalem, Perſium, Catullum, Senecam Tragicum, quorum verbis utitur *De vita beata* foliis 185. 197. 202. &c.

(413) Qui autem illud adverterit, ſtuduiſſe Auctorem N. latinæ linguæ Poetas imitari, intelligat is, una opera, eum & Græcorum morem, quos priſci Latinorum ſecuti ſunt, in ſuis poematis retuliſſe. Quin & nimis illud abſonum videatur ſuſpicari hominem græce peritiſſimum, librorumque, ut conſtat, helluonem a diuturna, diligentique Græcorum lectione abſtinuiſſe, neque hortulos ſuos ex limpidis eorum fontibus irrigaſſe, Lyrici monitione poſthabita (*Ad Piſones*):

. . . . Vos exemplaria græca
Nocturna verſate manu, verſate diurna.

Conſerantur Homerus, utroque poemate; atque Arati *phænomena*, quorum nil omiſiſſe videtur Mantuanus, quem rurſus & ex Theocrito multum profeciſſe arbitraverim, uti ex Leone a Theocrito, & Apro a Mantuano deſcriptis (unum enim id exempli loco aſſumam) fortaſſe non obſcure conjicias: ſic ergo Theocritus (*Idyllio* XXV. v. 240. & ſeqq.).

Digitized by Google

riſſe; ni tamen id falſum magnam fuiſſe olim, ac reputari etiamnum ipſorum aureæ ætatis Latinorum gloriam Græcorum ſapientiſſimos æmulatos eſſe, quod graviter olim a Quintiliano (*Inſt. Rhet.* lib. X. cap. I.) pronuntiatum eſt, ac nuper

. . . . μ' εἶδε περιγληνώμενος ὄσσοις
Θὴρ ἄμοτος, μακρὴν δὲ παρ' ἰγνύησιν ἔλιξε
Κέρκον, ἄφαρ δὲ μάχης ἐμνήσατο, πᾶς δέ οἱ αὐχὴν
Θυμοῦ ἐνεπλήσθη, πυρσαὶ δ' ἔφριξαν ἔθειραι
Σκυζομένῳ, κυρτὴ δὲ ῥάχις γένετ' ἠΰτε τόξον,
Πάντοθεν εἰλυσθέντος ὑπαὶ λαγόνας τε καὶ ἰξύν . . . . . . :

Nimirum ut vertit N. Pagnini:

. . . . Me vidit circumſpectans oculis
Bellua inſatiabilis, longamque circum poplites volvebat
Caudam, ac ſtatim pugnam meditabatur, totum autem collum ipſi
Ira impletum eſt, & rufæ horruerunt comæ
Iraſcenti; ac ſpina dorſi curva facta eſt, ſicut arcus,
Quum undique curvaretur ipſa circa latera, & ilia . . . . .
. . . . . . In me Leo ſævus e longinquo, toto impetu proſiliit
Geſtiens corpus lædere; ego autem altera ſagittas
Manu prætendebam, & ab humeris duplex veſtimentum;
Altera vero clavam aridam ſupra illius tempora attollens
Impingebam in caput: in duas vero partes aſperam fregi
Ibidem in hirſuto capite ſylveſtrem oleam
Belluæ indomitæ: concidit vero illa, antequam ſupervenirem,
Ex alto in terram, & tremulis pedibus conſtitit
Nutans capite; nam caligo illi oculos ambos
Invaſit, quum cerebrum in oſſibus vi concuſſum eſt.

Cum hiſce nunc ea conferantur, quæ de excito canibus Apro elegantiſſime cecinit Mantuanus, verſibus ſuperius allatis, quibus venationem deſcribit *Trophæi Gonzagæ* lib. IV. Pariter dum tertiæ illius eclogæ extrema percurro ſubit animum illuſtratum a Moſco Bionis epitaphium (*Idyllio* III.), etſi, fateor, ſe habet ad illud ut juvenilis conatus ad abſolutiſſimum abſolutiſſimi Poetæ carmen. Rurſus dum hæc Mantuani verba recolo (ecloga V. ℣℣. 59. 60. &c.)

Hoc amor, hoc pietas, hoc vult Deus. Omnia non dat
Omnibus, ut nemo ſibi ſit ſatis, indigeatque
Alter ope alterius. Quæ res conjungit in unum
Omne genus, Gallos, Mauros, Italos, & Iberos.

ejus verſiculi mihi videre videor exegeſim, quem habet eodem *Idyllio* XXV. ℣. 50. Theocritus:

Ἄλλου δ' ἄλλον ἔθηκε θεὸς γ' ἐπιδευέα φωτῶν,

nuper a Joanne Georgio Walchio (414) luculenter oſtenſum.

Alia nunc excipienda ſupereſſet, quam Mantuano olim intentarunt, calumnia, quamque imperiti quidam homines ſacris Vatibus inurere pergunt; viros ſcilicet Deo ſacros dedecere poeſim. Eſſet autem facile inania hæc otioſorum hominum commenta exſibilare, ageremuſque & ipſi eam rem perlibenter, ni eam jam ipſe olim Mantuanus, felici exitu, *Apologetico* ſuo (415), propoſitis Ambroſii, Juvenci, Paulini, Davidis etiam, aliorumque exemplis, ac rationibus, modeſte quidem, ſed docte repuliſſet, quod bene jam pridem adverterat, Joannes Deſpauterius Grammaticorum, ſua ætate, facile princeps, quum, præfatione ad *Artem ſuam verſificatoriam*, ſcriberet (416) « . . . . . Chriſtiani autem » Pontifices, Abbæ, Cardinales, & cætera Eccleſiæ colu» mina poeticen, ut Diaboli pabulum tum ſpernere cepe» runt; immerito tamen, ut pulcherrime in Apologetico » ſuo oſtendit Divinus Poeta Baptiſta Mantuanus » Quamquam non eadem ipſe cenſuerim &, quæ tuetur eo loci Mantuanus N., &, quæ, ceu diabolica, diris devota ſunt a primis Eccleſiæ columinibus, atque ab iis Chriſtiano Viro indigna reputata. Cæterum conferri ea poterunt, quæ de hoc argumenti genere diſputat Princeps Romanæ Eccleſiæ Eminentiſſimus, doctrinaque juxta, ac probitate morum inſignis Joannes Bona (417), eique familiaris N. Leo Rhedonenſis, Epiſtola ad Summum Eccleſiæ Pontificem, Muſiſque & ipſum amicum Urbanum, eo nomine VIII. (418). Sed de Mantuani poetice hactenus.

---

(414) Diatribè *De variis modis litteras colendi apud veteres Romanos* §. II. In *Parergis Academicis* pag. m. 57.
(415) *Apologetico*, quod ſcripſit *adverſus Maſtigophoros* tom. opp. I.
(416) *Commentariorum grammaticorum* pag. 357. Pariſ. edit. in fol. M.D.XXXVII.
(417) Epiſtola, quæ in noviſſima Roberti Sala editione eſt IV.
(418) *Epiſtolarum Selectarum* T. I.

§. II.

§. II.

EJUS THEOLOGICIS IN REBUS PERITIA.

QUOD ex hactenus diſputatis apparet, deque illo, ex Pici Mirandulani epiſtolis, ſcribit, Vir in litteraria Republica ſpectatiſſimus Joannes Laurentius Berti (419), erat Mantuanus N. « Non ſolum carmine, ſed omni ſcientiarum » genere excultiſſimus. » Erat, inquam, Theologiæ laude, Philoſophiæ cognitione, vaſtitate eruditionis, ad miraculum uſque (420), commendabilis. Apud Graveſon (loco olim citato) audit: *Eximius Theologus*, *& Poeta optimus*: a Berti *Theologus*, *& Poeta clariſſimus* (421) dicitur: *Sacræ Theologiæ Doctor inſignis* a Joanne Trithemio (422) appellatur. Quin nec ullum uſpiam inveneris, qui hanc ei gloriam invideat, quam rurſus & Poſſevinus, & Maldonatus, & Benedictus XIV., & Mamachius, & alii innumeri ipſi ultro detulere. Quamquam non externa opus eſt auctoritate, ut rem non aliunde melius, ac tutius, quam ex ipſis ejus operibus cognoſcendam, aperiamus, unde & ad illa, ceu ad inſignis Theologi ſcripta, ſe ſe paſſim referunt Theologicas diſputationes ſuas exornaturi non imi ſubſelii ſcripto-

(419) *De rebus geſtis S. Auguſtini* cap. XX. pag. 40. Accinit, ut alios omnino plures ſileam, Poſſevinus, ex cujus *Apparatu*, hoc de Mantuano judicium aſſumit Hyacinthus Gimma (*Elogj Academici della ſocietà degli Spenſierati di Roſſano* Parte II. in elogio. N. Caroli Sernicola, quod ſerie eſt XLVII. pag. 217.) « In Divinis Scripturis eruditiſſimus, & in ſecularium litterarum ſcien» tia nulli ſecundus, ſacræ Theologiæ Doctor, Philoſophus inſignis, Poeta, » & Orator celeberrimus, ingenio excellens, ſermone diſertus. » Hiſce omnino dignus eſt, qui accenſeatur Benedictus XIV. a quo Mantuanus *Theologus* dicitur, *Poeta*, *& Orator* (*De canoniz. SS.* lib. II. cap. XVIII. n. 7.).

(420) *In ogni genere prodigioſo* vocat Mantuanum Petrus De Creſcenzj (*Preſidio Romano* lib. III. parte II. narraz. II. n. 15.)

(421) *De Theologicis Diſciplinis* lib. XIII. cap. VI.

(422) *De laudibus Carmelitarum* lib. II. Adde his Moreri, cui Mantuanus: *bon Théologien*.

Digitized by Google

ſcriptores, Martinus Azpilcueta Navarrus (423), Jodocus Coccius (424), Laurentius Berti (425), utque ſileam cæteros, ac N. N. ipſos Thomam Beauxamis (426), Lactantium Domanini (427), Matthiam a Corona &c., Melchior Canus, qui Magos ad recens nati Salvatoris cunabula perductos regali dignitate ſpoliari ægro animo ferens, inſtituta ea de re controverſia, hæc ſibi ipſe objecit: « Probabiliſſi- » me a Baptiſta Mantuano, aliiſque recentioribus aſſeritur » Magos Reges non fuiſſe (428). » Ideo autem Mantuanum expreſſe indigitat, quod, uti ſcribit Antonius Sandini (429): « Joannes Baptiſta Mantuanus primus creditur negaſ- » ſe Magos fuiſſe Reges ita ſcribens in *Epiphania*:

» Nec Reges, ut opinor, erant: nec enim tacuiſſent
» Hiſtoriæ Sacræ Auctores genus iſtud honoris,
» Inter mortales quo non ſublimius ullum.
» Adde, quod Herodes, ut magnificentia Regum
» Poſtulat, hoſpitibus tantis regale dediſſet
» Hoſpitium, ſecumque lares duxiſſet in amplos.

Etſi autem non is mihi nunc animus, quid pro hac opinione, quid contra illam afferri ſoleat, expendere, altiuſque univerſam hanc rem examinare; illud tamen obſervaſſe liceat, pro utraque ſententia viros decertare ſpectatiſſimos, criticæque, & eruditionis laude omnino celebres. Sic Mantuano Cornelius Janſenius Gandavenſis Eccleſiæ fulgentiſſimum lumen (430), Jacobus Hyacinthus Serry (431), aliique velificantur, quos Joannes Maldonatus Scriptor e Societate

(423) Tom. III. *In Enchiridio* cap. XIX. pagg. m. 413. 414., aliiſque operum ſuorum locis.

(424) *Theſauro Catholico*, perfrequenter, ut puta. Tomo I. lib. I. art. III. & IV., tomo II. lib. IX. art. I. &c.

(425) Loco nuper citato, necnon ejuſdem operis lib. XXIX. cap. IV. lib. XXXIII. cap. X. &c.

(426) *De Fide, & Symbolo* lib. III. cap. V. &c.

(427) *De Providentia* tom. I. lib. I. cap. XXII.

(428) *De Locis Theologicis* lib. XI. cap. III.

(429) *Hiſtoria familiæ ſacræ*. Cap. III. *De Chriſto* §. III. nota 5.

(430) *Comment. in Concordiam Evang.* parte I. cap. IX.

(431) *Exercit.* XXXIV, N. II.

cietate Jeſu exactiſſimus (432) adverſus Theodorum Beza, & Maldonati verbis, Proſper Lambertini (433), poſt laudatum ab utroque Mantuanum, *multos* vocat, *& eruditos Theologos*, contrariam propugnantibus ſententiam eodem Cano, Maldonato, Sandini, Lambertino, quoſque is poſtremus in rem ſuam appellat, nec non, ut mittam reliquos, Sebaſtiano Barradio (434), ac N. Joanne Sylveira (435), qui Mantuano, ejuſque ea de re opinione expoſita, in adverſam tamen ſententiam, quod integrum cuique fuerit, concedunt. Quamquam arbitratur Panormitanus Archipræſul Matthæus Baſile (436) Magos fuiſſe a Mantuauo regia dignitate haud penitus expoliatos, nec majeſtate Principis omnino dejectos, ſed *Regulos* dumtaxat putatos, atque *Toparchas*. Qua re, ſi certis poſſet rationibus evinci, nactus jam eſſet Mantuanus ſententiæ ſuæ adſertorem Iſaacum Caſaubonum (437), Natalem Alexandrum (438), alios, quibus omnibus ea, quæ inſtituto noſtro ſatis aliena eſt, diſputatione relicta, levem, qui ſupereſt diſſipandus, nonnullorum ſcrupulum evellamus, quibus ſcandalo fuere concepta hæc Mantuani verba (439) « Theologorum quidam » doctiſſimi, atque clariſſimi, ſubtiliſſimis diſputationibus » quæſierunt, an per Chriſti miracula probatu ſit poſſibile » eum fuiſſe Deum, & Meſſiam in antiqua lege promiſ- » ſum. Sunt, qui affirment, ſunt &, qui negent. Ego » autem (ut paucis expediam) in eorum, qui negant, hoc » eſt

(432) *Comment.* in cap. II. Matth. col. 47. edit. Lugd. in fol. M. DC. II.
(433) *Annotazioni ſopra le feſte* parte I. §. XXXV.
(434) Lib. IX. *Comment. in Harm. Evang.* cap. VIII.
(435) Queſt. II. N. 8. *in Matthæi* cap. II. v. I. Mantuano recedit & Berti, qui tamen in Poetæ N. verſibus auctoritatem, non ratiocinium viſus eſt attendiſſe, quum ſcripſerit (*De Theologicis Diſciplinis* cit. lib. XXIX. cap. IV.) poſt recitatos Auctoris N. verſus: « Baptiſtæ denique Mantuano Carmelitæ » doctiſſimo opponimus alium ejuſdem Inſtituti Virum celebrem Joannem » Mariam Verratum Ferrarienſem, qui in *Catena* docet Magos fuiſſe *Sapien-* » *tes, ac Reges.* »
(436) *Exercit.* VII. adverſus Serry N. XXXIX. ad calcem tomi III. opp. ejuſdem Serry edit. Lugd. in fol. M. DCC. LXX.
(437) *Exercit.* II. *in Baronium.*
(438) *Hiſt. Eccl.* ſec. I. cap. I.
(439) *De patientia* lib. III. cap. IX.

» eſt Gerardi Bononienſis. & Pauli Peruſini Ordinis mei, » ſententiam vado: ſi namque per miracula id probaretur, » jam non crederetur, ſed id nobis credendum proponitur: » adde, quod, quum non conſtiterit, qua virtute, propria » ſcilicet, an aliena, Dei, an Beelzebub, ut Judæi calum- » niantur, id fecerit, dici ſemper poterit, id commune & » aliis fuiſſe. » Quam quidem ſententiam, ni peculiares aliæ in Chriſto circumſtantiæ attendantur, &, ſi accipiatur de puta, nudaque factorum præternaturalium poſitione, liquet nihil in ſe, quod non rationi congruum ſit, continere, quum æque magna, ſeu & majora prodigia (Reſurrectionem ſemper excipio) a Prophetis patrata ſint, ab Apoſtolis, ab aliis thaumaturga virtute præditis viris, quod & Mantuano obſervatum eſt, citato loco, ubi rurſus, adductis Ethnicorum præſtigiis Æſculapii, Magorum in Ægypto &c. evidenter oſtendit portentoſos rerum eventus & penes Idololatras reperiri, quod nemini hactenus negatum (440). Sed enim illud non ſatis attendit Mantuanus, peculiares quaſdam recurrere in miraculis Chriſti circumſtantias, quæ illis ad divinitatem ipſius adſtruendam pondus omne, omnem vim, ac robur adjiciant: finem dico, perſeverantiam, numerum, ſpeciem; etſi enim quædam perpetravit, quæ poſſint, permittente Deo, & vanis præſtigiorum conatibus obtineri, & faſcinatis ſenſuum organis illudere; certe quod ipſe, triduo poſtquam crucifixus obierat, juxta, ac Diſcipulis erat ante pollicitus, redivivus ſurrexerit, Divinitatis argumentum illud eſt, quotquot excogitari fortaſſis poſſunt, equidem maximum. Quam rem nec, ut par erat, obſervavit Lactantius ipſe, cujus hæc ſunt explicatiſſima de miraculis Chriſti verba (441). « Diſce igitur, ſi quid tibi cordi eſt, non » idcirco a nobis Deum creditum Chriſtum, quia miracula » fecit; ſed quia vidimus in eo facta eſſe omnia, quæ no- » bis annuntiata ſunt vaticinio Prophetarum. » Itaque mallem rem expendiſſent uterque maturius; characteres enim ſuper-

(440) *V. Hiſtoire critique des pratiques ſuperſtitieuſes*. tom. I. liv. I., & liv. II. chap. I. &c. Petrus le Brun.
(441) *Divinarum Inſtit.* lib. V. cap. III.

ſuperſunt, quibus vera, ac genuina Chriſti, Prophetarum, Apoſtolorum, Catholicæque Eccleſiæ miracula a Dæmonum ſecernamus præſtigiis (442), & rationes haud deſunt, quibus pateat Moyſen, Eliam &c. ut ut thaumaturgos; eorum tamen neminem fuiſſe Meſſiam, & tamen Meſſiam fuiſſe Jeſum: ſi enim veri nominis miracula unus Deus efficere poteſt, ſeu id Angelorum miniſterio fiat, ſeu ab ipſo Deo immediate, quod & Mantuanus (443) fatetur: Deus autem non poteſt mendacio umquam patrocinari, illud jam inde conſequitur, & neminem ex laudatis Prophetis fuiſſe Meſſiam, quum miracula, nonniſi, ut Prophetas ſe aliis probarent, ediderint; Meſſiam vero fuiſſe Chriſtum, quod prodigia, ut Meſſiam ſe oſtenderet, patrarit, quibus rurſum & illa evaneſcant neceſſe eſt, quæ, ſecundo loco, Mantuanus urgebat, uti & diſpelluntur, quæ ab illo in primis objecta ſunt, Chriſti ſcilicet, Divinitatem, quæ, ceu ex fide credenda proponitur, non poſſe eam naturali quoque ratione evinci: annon enim ſufficiat de Chriſti Divinitate aſſerere, quod de Supremi Entis exiſtentia Theologi docent, ad fidem, inquam, pertinere, quum iis ſuſcipitur Revelationis fontibus, qui rem credendam proponunt, nec via aliqua naturali, aut philoſophicis argumentis demonſtrant; tum autem demonſtrari, nec, ceu de fide, haberi, quum iis hauritur naturalium rationum momentis, quibus veritas illa philoſophice poſſit ſuaderi? Modo, ut ad priorem illam redeamus quæſtionem, eximia plane dixeris, quæ de aſſerenda ex Chriſti miraculis ipſius Chriſti Divinitate diſputat *Contra Gentes* Angelicus (444). « Prædicta etiam Dei

S » Incar-

(442) Conficiunt eam rem apertiſſime, hoc loco, Theologi, ubi, inquam, de Chriſti Divinitate eſt ſermo; quin & in id nervos omnes intendunt Simon, Faſſon, alii.

(443) Ait nimirum lib. cit. cap. X. quod « Non omnia in cauſas naturales, » ſed quædam & in Dæmones, quædam, hoc eſt ea, quæ vera ſunt, in » bonos Angelos, & in Deum ſint referenda miracula. » Quibus ex verbis liquet rurſus, ea, quæ Mantuanus habet de miraculis, æque apud Gentiles, a Dæmone patratis, de iis tantum accipi debere operibus, quæ falſa portenta ſunt, vacuæque nimium faſcinatorum ſenſuum, vel immutatæ phantaſiæ illuſiones. Qua de re & plura, &, ut ejus moris eſt, egregie Doctor vere Angelicus. I. parte queſt. CXIV.

(444) Lib. IV. cap. LV. n. 8.

» Incarnatio ſufficientibus indiciis hominibus manifeſtata eſt: » Divinitas enim nullo modo convenientius manifeſtari po- » teſt, quam per ea, quæ ſunt propria Dei: eſt autem Dei » proprium quod naturæ leges immutare poſſit, ſupra natu- » ram aliquid operando, cujus ipſe eſt auctor; convenien- » tiſſime ergo probatur aliquid eſſe divinum, per opera, » quæ ſupra leges naturæ fiunt, ſicut, quod cæci illumi- » nentur, leproſi mundentur, mortui ſuſcitentur. Hujuſmo- » di quidem opera Chriſtus effecit, unde & ipſe, per hæc » opera, quærentibus: *Tu es, qui venturus es, an alium* » *expectamus?* ſuam Divinitatem demonſtravit dicens: *Cæci* » *vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt.* » Quæ eadem peracute etiam ediſſerit Incognitus N. (445). Cæterum & Mantuanus ipſe, quoties non de Chriſti miraculis in ſe unice ſpectatis, ſed & ad eas, quæ miracula ipſa comitabantur, circumſtantias attendens loqueretur, ingenue, ut plane decebat, faſſus eſt (446):

. . . . Miracula certe
Plurima teſtantur Chriſti Numenque, Fidemque.

Et alibi adverſus Neſtorium Divinitatem Chriſti impugnantem (447):

Attendebat enim ſolum, quæ opprobria paſſus
Chriſtus erat, non quæ toties miracula fecit,
Neſtorius levis, & petulans, elatus, & audax.

Scilicet miracula Chriſti iis eſſe circumſtantiis poſita, quibus non poſſent non illius Divinitatem evincere creditum id & Mantuano, quamquam arbitratus eſt facta illa pure in ſe, ac nude ſpectata non validum aliquod efficere Divinitatis ipſius argumentum: quæ interim omnia, idcirco ajebam, inquit de ſe Mantuanus (448): « Non, ut noſtra in- » firmem

(445) Super pſal. CXVIII. ℣. 129.
(446) *In S. Dionyſio Areopagita* lib. I. ſub finem.
(447) *Faſtorum* lib. I. in *S. Cyrillo*.
(448) Cit. *De patientia* lib. III. cap. IX.

Digitized by Google

» firmem, pro quibus etiam fundendus eſt cruor; ſed ne » ſimul cum noſtris aliena confirmem, quibus eſt cum no» ſtris commune miraculum. » improprie ſcilicet dictum, veluti ipſius Mantuani verbis nuperrime eſt adnotatum, cujus tandem opinionem de uno miraculorum veri nominis auctore Deo ex ea etiam objurgatione aſſequimur, qua ethnicus quidam populus ab illo vocatur (449):

. . . . Inops mentis, miracula qui non
Per tam clara Deum cognoverit . . . .

Quamquam & ea de re jam ſatis.

Nunc autem, ſi quam divitis venæ eſſet, quantaque facilitate, vel in Theologicis ipſis veritatibus exprimendis Auctor N. commendaretur, adductis aliquot eam in rem exemplis, oſtendiſſe liceat, de Deo hæc habet (*Parthenices* II. lib. III.).

. . . . . . Deus eſt æternus, & ingens,
Nec comprenſus adhuc, nec, quæ comprendere poſſit
Mens eſt ulla Deum. Simplex eſſentia, nullis
Intercepta locis, non circumſcripta figuris,
Unus, & in plures numquam diviſus, ab omni
Conditione procul noſtra, mortalia nedum
Omnia; verum etiam vincens cæleſtia longe.
Solus hic immenſum fecit non Jupiter orbem.
Quicquid habet Phlegeton, quicquid cava viſcera terræ,
Quicquid ineſt pelago, quicquid ſecat aera pennis
Condidit, & ſolus totum hoc opus ipſe gubernat.

Et alibi (*in S. Margarita*, ſeu III. *Parthenice*):

O Pater, unde fluit rerum immutabilis ordo,

(449) *In S. Georgio* ℣. 14. a fine. Atque ita etiam exponendos cenſuerim Paulum Peruſinum, de quo Caſanate (ad annum Chriſti M. CCC. XLIV. cap. XCIV. *Paradiſo Carmelitici Decoris* &c.), ac Gerardum de Bononia, de quo Villiers (*Biblioth. Carmelit.* tom. I. coll. 548. 549.).

Cui fas eſt quodcumque libet, cui lege voluntas (450)
Libera, cui præſens, quod præterit, atque futurum eſt.

Ac rurſus (*Alphonſi* lib. I. ultimis lineis)

Nam Deus eſt immenſa, omni ſine corpore, ſimplex,
Viva, æterna, potens, vigilans diffuſa per omnem
Corpoream molem Ratio, ſimul omnia, quæ ſunt,
Quæ in cauſis ventura latent, quæ ſuſtulit ætas
Jam finita, in ſe cernens, æquabile cunctis
Numen, & affectu vacuum . . . . . .

Atque iterum (*Alphonſi* lib. I. ſub medium):

Quum Pater hanc molem cæli, terræque, mariſque
Conderet archetypi ducens ab imagine mundi (451)
Cuncta

(450) Nimirum Deus eſt SUMMA RATIO. Cæterum « Eſt legis vocabu-
» lum ambiguum: nam, aut eo ſignificatur norma quæpiam actionum in ra-
» tione poſita, ac infixa, veluti arte, exemplari, atque, ut Græci Philoſo-
» phi dicunt, *idea*, ac παραδειγματι; aut ſuperioris alicujus temperantis
» voluntas, qua velit ſibi ſubditos uti in actionibus ſuis regendis. Si cum
» priori notione accipiatur, & homini cuilibet ſua ratio, & ratio Dei Deo
» erit lex. » Inquit Genuenſis *Metaphyſicæ* parte IV. lib. I. cap. IV. §. II.;
§. autem III. « Si cum altera notione, quæ ejus vocabuli propria eſt, dum
» de legibus diſſeritur, legis vocabulum accipiatur, erunt ejus proprietates
» *eſſentiales* omnino quatuor. I. Ut ſit ratio ſumma: II. Ut ſit ratio ejus,
» qui jure imperat: III. Qui ea ſubditos obligare velit: IV. Et poſſit. Prin-
» cipio enim, niſi lex ſit ſumma ratio, indigebit ipſa alia ratione, qua re-
» gatur; neque idcirco eſſe poterit aliorum norma. Deinde niſi is, cujus ra-
» tio lex eſt, jure imperet, jure quoque ei non paretur; ut, ſi adigere ve-
» lit ad obſequium, ſit injuſtus. Præterea niſi velit obligare, admonitio po-
» tius, & conſilium erit, quam lex. Tandem niſi poſſit ad obſequium rebel-
» lantes adigere, tota inutilis jacebit. Quibus ex rebus ſequitur, ſolam æter-
» nam Dei rationem ejus voluntate, & potentia ſuffultam veri nominis le-
» gem eſſe, & quidem perfectiſſimam. » Denique §. V., pluribus præmiſſis,
ſic pergit: « Alii poſt Okamum non pauci e Schola, & Renatus ipſe Carte-
» ſius voluntatem Dei, velut præciſam ab æterna ejus ratione fontem uni-
» verſi juris eſſe dicunt, ut, quodcumque Deo placuit, id continuo ſit ju-
» ſtum. Hoc ego in erratis pono, non, quod non ſit juſtum, & ſanctum,
» quodcumque Deo placuit; nihil enim ei placere poteſt, quod Naturæ, &
» Sapientiæ ſuæ non ſit conſentaneum; nec eſt illius Naturæ quidquam con-
» ſentaneum, quod non ſit juſtum, & ſanctum; ſed, quod ante omnem Dei
» voluntatem (liceat, hoc in loco, ad mentis noſtræ brevitatem accommo-
» date loqui) in ipſa ejus Natura, & Intellectu Ratio ineſt juſti, & ſancti. »

(451) Notus Boetii locus (*De conſolat. Phil.* lib. III. metro IX.) unde hæc expreſſiſſe videtur Mantuanus, qui ipſum hunc Boetii locum citat *De loco Conceptionis Chriſti* pag. 208.

Cuncta prius confuſa rudi produxit acervo . . . . . .
Mente creandarum Deus exemplaria rerum
Servat, & æternis in ſe videt omnia formis,
Et quo quidque modo fieri, quo limite claudi
Poſſit, ut in rebus numquam labatur agendis.

De Prædeſtinatione (*Alphonſi* lib. II.):

Juſtitiæ ſi tanta Deo cuſtodia, mundum
Æquali ſi lance regit, cur judicat ante
Omne operum fas, atque nefas? Elabitur ergo
Cura, labor, meritum: fruſtra vigilantia, fruſtra
Relligio, fruſtra pietas, opera omnia fruſtra,
Nec vitio utilior virtus . . . .
. . . . Deus liber, neque recta volendo
Proſequitur, ſed recta facit ſine lege voluntas (452).
Illa æterna: illa omnipotens, illa omnia verſans
Non agitur; ſed agit quicquid deliberat æquum eſt.
Humanas hucuſque licet ſe attollere mentes;
Altius antiquæ ſcelus, & ſuperbia matris.

De Trinitate (*Faſtorum* lib. V. *de Trinitate*):

. . . . Subſtantia certe,
Quæ Deus eſt, una eſt: numerum Perſona recepit:
Sicut enim plures arbos gerit unica ramos,
Unica Perſonas ſic fert eſſentia plures:
Sic etiam plures animæ de ſimplicis uno
Stipite procedunt vires. Exempla feruntur
Iſta, quia in numero, totaque propagine rerum
Propoſito certum eſt, nil eſſe, quod undique quadret . . .
. . . . Hæc eſt eſſentia ſimplex,
Una, nec admittens numerum, tribus inſita tantum
Suppoſitis, ut noſtri utar ſermonibus ævi.

De

(452) Hæc iis haud ſatis cohærere putes, quæ ſcribit *De patientia* lib. II. cap. IV. « Nihil a Dei Numine ſine recta ratione fieri poſſe. » ni forte hæc ejus verba interpretere modo nuper expoſito.

De Protoparentum lapſu (*Alphonſi* lib. VI.):

Hanc frugem, cui nectar ineſt dape dulcius omni
Suſpiciens hominum Genitrix, heu! credula pluſquam
Fas erat, incaute rapuit, raptamque momordit,
Nec ſatis id, decepta virum decepit amantem.
Heu amor infelix, infortunata voluptas!
Quid faceret tamen Adamus? Premit undique bellum:
Hinc Deus, hinc ſerpens, & pro ſerpente Virago;
Hinc amor, inde timor: mens oppugnata laborat,
Ut ratis hinc auſtris, illinc aquilonibus acta.
Vicit amor gravis affectus, violenta libido.
Ergo, thori ſociam, ſua blandimenta, ſuaſque
Delicias amens ne contriſtaret, eodem
Naufragio ut mercem amiſit, puppemque reliquit,
Vix tabulæ innitens rapidis evaſit ab undis.
Artibus his dejecta Viri conſtantia mortem
Incidit, atque ſuo ejectus cum Conjuge regno
Venit ad incurvis fodienda (453) ligonibus arva,
Quæ ſentes, tribuloſque ferunt, quæ reddere victum
Cultori, niſi victa negant, quæ fundere frugem
Agricolæ, niſi vi, ferroque coacta recuſant.
Hæc igitur latis arbor, quæ frondibus umbram
Porrigit, & libro pingues lactente mariſcas (454)
Semper alit, necis, & morbi lethalis origo eſt:
Nam neque Caucaſeo recubans in monte Prometheus
Cæleſti, ut perhibent, læſit ſua ſecula furto;
Una ſed hæc noſtri tanti rea criminis arbor.

De Incarnatione (*Alphonſi* lib. VI.):

Induit humanam effigiem, ſtatuitque vocari
Numen homo, clauſitque Deus ſe in ſtemmate noſtro.

Non

(453) Confer Petavium *De opificio ſex dierum* lib. II. cap. VI. NN. I., & II.

(454) » Quis fructus iſte vetitus inquiritur: frumentum reputarunt nonnulli; » uvam alii; ficum quidam, ceraſum, pomum tandem plures. Quæ poſterior » ſententia, quamquam non melioribus, ac ſuperiores cæteræ, fulta, obti- » nuit. » Inquit Auguſtinus Calmet. *Diction. Sacræ Scripturæ* tom. I. lat. Ven. ed. in fol. an. M.DCC.XXXIV. pag. 113. V. *Arbor ſcientiæ boni, & mali*.

Non ſecus, ac, ſtellis ſi quando ex æthere pulſis
Sol jubar infundat nebulis, & veſtiat auræ
Majeſtate ſuæ, vacuoque accommodet axi.

De Euchariſtici Sacramenti inſtitutione (lib. VI. *Faſtorum*, ubi de Euchariſtia):

Poſt epulas Chriſtus mortem paſſurus acerbam
Inſtituit ſacrum, quod tunc mœrore labantes
Proſternente animos fuit huc transferre neceſſe.
Non fuit ex avibus, non ex Cerealis ariſtæ
Fruge, nec ex gregibus Sacrum, tenerove juvenco,
Qualia Gentiles, & gens Judæa ſolebant
Reddere Cælitibus. Sacrum fuit ipſe Sacerdos.
Ipſe fuit, ſed ſe cælavit imagine mira:
Nam quæ panis erat, quæ vini eſſentia quondam,
Fecit, ut in Chriſti Corpus, ſacrumque cruorem
Tranſierit ſubito, ſalvis utriuſque figuris.

De Supremi Numinis cultu (*præf. in Faſtorum libros*):

Omne bonum ſublime jubet Natura quibuſdam
Inſignire modis, certoque extollere cultu.
Primus honor ſacrum eſt, prima excellentia, qua non
Eſſe poteſt major, Patris excellentia ſummi; eſt
Ergo hic ejus honor, quo teſtificamur, ab ipſo
Quod ſumus eſſe Deo, quod vivimus, atque movemur,
Ipſe opifex: nos ejus opus; pro talibus ergo
Offerimus meritis illi libamina ſoli.

De Martyrum conſtantia (*Parthenices* II. lib. II. in ore D. Catharinæ)

Omnia Chriſtus habet. Rubet omnis ſanguine tellus
Innocuo. Memini Romæ vidiſſe gregatim
Chriſtigenas duci, & quoſdam periiſſe ferarum
Morſibus, & quoſdam gladiis, in flumine quoſdam,
In mare, complures fodienda ad marmora miſſos.

Flumi-

Flumina, terra, fretum fuſo ſacrata cruore
Numen habent Chriſti, debentur & omnia Chriſto.
Vidi ego Cæciliæ pœnas, & flebile Sanctæ
Funus Anaſtaſiæ vidi, Agnetiſque dolores,
Tiburti, fratriſque necem. Crudelia nobis
Vulnera Chryſogoni veniens narravit ab Iſtris
Nuntius, &, fateor, lacrymæ cecidere tepentes.
Hippolytus laniatur equis, Laurentius ardet,
Nec ſuperare virum flammæ, nec ferrea poſſunt
Verbera. Sic emitur Cælum, ſic invidus Orcus
Vincitur, & nulla eſſe poteſt victoria major.

De Juſtorum præmiis (*Parth.* II. lib. III.)

. . . . Nobis nihil eſt in morte timendum (*)
Chriſtigenis, quibus eſt aliud poſt funera longe
Nobilius vitæ genus immortalis Olympo.
Oppetere eſt iterum naſci. Tormenta ſubire
Pro virtute pium . . . .

De viſione beatifica (*Alphonſi* lib. II.)

Noſſe ſat eſt. Qui novit amat. Pulcherrimus Auctor
Orbis, ut arcanum nos in penetrale recepit,
Tum nova lux Divorum animis illapſa repoſtas
Ingeniis formas, ſimulacra leviſſima rerum
Disjicit, & raptas mentes attollit in orbem

Lucis

(*) Non hæc errore a Tridentinis PP. (ſeſſ. VI.) confixo, ut liquet vel ex alibi recitata vitæ ſuæ epitome: ſed catholico ſenſu, quo fere Poeta ævi noſtri cl. ſibi, inquit:

. . . . Sibi nec reſtingui tartara poſcunt,
Quos bene geſta fatis tranquillant . . . .
Melchior Polignac *Anti-Lucr.* I. 535.

eriguntur nimirum *ſpei*, ut vocant, certitudine, de qua ut cæteri pene omnes, ita & perſpicue recentes ex Ordine meo Theologi Brocardus a S. Nicolao (*profeſſione Fidei Catholicæ* tom. III. art. XXX. cap. IX.), Boniſacius Giardi (*Il Salmiſta Teologo* tom. I. cap. XXVII.), Gauggi quoque, Reyneri, alii.

Lucis inacceſſæ, jubar immortale, quod ipſis
Cælitibus ſolis, quum vult, aperitur, & uno
Explicat obtutu, quæcumque in corpore quondam
Scrutari voluere, modis fallacibus, umbræ.

De Sanctorum invocatione (*Alphonſi* lib. II.)

. . . . Super aſtra feruntur
Inſignes pietate animæ, meritiſque potentes
Magna valent, & opes poſſunt præſtare vocatæ.

De Mortuorum ſuffragiis (*Faſtorum* lib. XI. *in Commemoratione Defunctorum*)

Prima dies Superos Cives colit, altera Manes
Expiat, æternos non qui damnantur ad ignes,
Quos ſpes nulla fovet, quos nulla piacula ſolvunt;
Sed quibus eſt veniale nefas, vel origine ab ipſa,
Vel capitale prius factum veniale dolendo . . . .
. . . . Hos quamquam Patris clementia in umbras
Non agat æternas; tamen, ut terrena relinquant
Somnia, & antiquos habitus, & inuſta malarum
Semina curarum, per regna cathartica mittit . . . .
Quintuplici vero Manes ratione juvantur.
Prima ſalus oblata Deo ſunt azyma liba,
Et calices, proſunt animis jejunia, proſunt,
Quæ miſeris donantur, opes, litanea, preceſque,
Eſt aliud, ſi vera recens (455) ſententia patrum.
Manibus auxilium. Nam quædam æraria dicunt
Conflari ex meritis Chriſti, Divumque colentum

T Æthera,

(455) Emollienda hæc fortaſſis: quamquam, ut recte eſt Bellarmino adnotatum (*De Indulgentiis* lib. I. cap. XIV.): « Res non eſt certiſſima, & apud » Catholicos indubitata Indulgentiis juvari poſſe animas, quæ in Purgatorio » pœnas luunt. » Adiſis Franciſcum Veronium (in *Regula Fidei Catholicæ* cap. II. § IV.) penes fratres Walemburch (*De controverſiis Fidei* tomo II.), penes Zacharia (*Theſauri Theologici* tomo VII.), penes Hooke (*Religionis naturalis, & revelatæ principia* tomo III. parte II. pag. m. 656.) &c.

Digitized by Google

Æthera, Romanus quæ diſpenſare Sacerdos
Partirique poteſt, animiſque impendere functis.
Corpore, qui Elyſios poſſunt ſperare Penates.
Auxilio tali factum *Indulgentia* nomen.

De Providentia (lib. *Agelariorum* II. initio):

Nam neque Rectorem magna hac in mole putandum
Defore, qui cælos verſet, qui tempora certis
Digerat ordinibus, qui accommodet omnibus annum
Frugibus, & totum hoc opus admirabile curet.
Sic quoque, ſi quando excelſam per cærula puppim
Artifici greſſu videas incedere; quamquam
Te lateant, qui vela regunt, clavumque gubernant;
Vim tamen advertes, motum quæ temperet ullam.

Tum etiam ad futuram vitam appellans: Deprendes hinc, ait (*Alphonſi* lib. II. ante medium):

Deprendes hinc eſſe Deum, mortalia caſu
Non fluere incerto (456), fortunam, & fata videbis
Invali-

(456) Aperte hic ad Claudiani illa intendit digitum (*Contra Rufinum* lib. I.):

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem
Curarent Superi terras, an nullus adeſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu.

quamquam melius Mantuanus, ut Providentiam Deo, mundique adſerat procurationem, ad futuram vitam appellat eam ex iis, quæ in mundo eveniunt, demonſtrari haud poſſe arbitratus contra, ac exiſtimavit Claudianus, eo loci, ſubdens:

Abſtulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
Abſolvitque Deos . . . .

quamobrem vapulat hic multis apud Racine (*La Religion* chant. II. nota 25.) ſcribentem: « Cette raiſon eſt fauſſe. Le Ciel ne ſe juſtifie pas toujours de » cette façon. Combien de ſcelerats n'ont point été punis ſur la terre? Clau» dien en devoit conclure un autre ſejour, où tout ſera retabli. » Quod ſcilicet factum Mantuano. Dignus, qui in hanc rem conferatur N. Periconi (*La Ragion del Vangelo* tom. I. Ragion. V. n. 23.), quo loci, autumat, in nullius futuræ vitæ ſyſtemate, providentiam in Deo haudquaquam poſſe defendi. Videſis & Jacobum Foſter *ſerm.* XV.

Digitized by Google

Invalidis contra arbitrium conatibus ire,
Ac juſte puniri hominem, qui jura, Deumque
Spreverit. Et quamquam, ſuperis dum veſcimur auris,
Una habitent ſcelus, & virtus; tamen omnia certis
Orbe alio dirimenda locis, fore præmia laudi,
Et delectum operum, ac meritorum examen habendum.

Adde quæ de univerſi regimine habet *Parthenices* I. lib. III. fol. 39.

Ille regit cælos, atque immortalis olympi
Poſſidet imperium, & fatalia temperat aſtra.
Ille facit pronam Tauri (*) incandeſcere frontem,
Et Titanis equos ad aquatica brachia Cancri
Flectit, & ardentem ſub Virgine temperat æſtum,
Atque ſuas ſervare vices vaga ſidera juſſit,
Chironem torpere gelu, Caprumque nivoſis
Imbribus, & glacie ſtrictos requieſcere campos.
Meſſibus æſtates, hyemem nive, purpureum ver
Floribus, autumnum pomis, & frugibus implet,
Chaſmataque, & terræ motus, ventoſque ſonantes,
Imbriferaſque facit nubes, fulmenque per ipſa
Nubila contorquens violentos excutit ignes.
Ille fretum levat, ille premit, vitæque, neciſque
Lora tenens Superis leges imponit, & Orco.

Adverſus Hæreticos æternis cruciatibus mancipatos (*Alphonſi* lib. I.):

Tartara, & inferni carcer Jovis, unde reverti
Non datur, immanes animas, quibus ultima luxit
Cælesti ſine luce dies, prædantur, & atris
Infodiunt latebris, quibus Iſcariotis ab alto

 Pen-

(*) Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus . . . .
Virgilius lib. *Georgicon* I. 217.

Pendet adhuc ſcopulo, volitanſque per (457) aera Simon
Infamis Magus, & lucri execrabilis auctor
Vapulat. Hic velut æternis immobile ſaxum
Ictibus expoſitum Pellæi infamia Nili
Arrius: hic gemina ducens ab origine mundum
Latrat in obſcuro Manes abſconditus antro,
Eunomiuſque Deum lacerans, & tota ſub Orcum
Hæreſiarcharum ſoboles intruſa latentem.
Præſidet his Machometus Arabs . . . .

At enim deficiat me dies, ſi quæcumque huc ſpectant, Mantuani loca nunc pergam exſcribere. Itaque illud potius videamus, quomodo nedum Poetæ clariſſimi, nedum inſignis, graviſſimique Theologi: verum

§. III.

HISTORICI QUOQUE FAMAM SIBI EST PROMERITUS.

OSTENSUM §. præcedenti, Mantuanum virum fuiſſe Theologicis in rebus apprime verſatum, cui ſcilicet laudi neceſſario aliam hanc quoque addamus oportet, fuiſſe, inquam, illum & hiſtoricis cognitionibus eruditum, quum, ut Joſepho Auguſtino Orſi (458), aliiſque animadverſum eſt, nemo unquam Theologiæ palæſtram, vel mediocri, poſſit greſſu percurrere, cui non aliquod Eccleſiaſticæ ſaltem Hiſtoriæ

(457) Hæc ex veteri ſententia Poeta N. quam non veteres modo penes Tillemont (*Mémoires &c.* tom. I. in vita S. Petri); verum & recentiorum permulti excipiunt, ſed omnium maxime Vir, hoc rerum genere, peritiſſimus Gaetanus Maria Travaſa (*Storia critica delle vite degli Ereſiarchi* tom. I. in vita Simonis Magi cap. XVII. pag. m. 171., & ſeqq.), ubi tentatos a Mago aerios tractus, eumque, Apoſtoli Petri orationibus, præcipitem actum, lectiſſima, ut ejus moris eſt, eruditione, propugnat.

(458) Præf. in Hiſt. Eccl.

ſtoriæ ſubſidium accedat. Quamquam non eas tantum calluit Auctor N. hiſtorias, ſine quibus, nemo, vel aliquam Theologiæ laudem conſequi valeat, ſed & nullum pene hiſtoriæ genus reperias, in quo non fuerit ille, ſaltem ut ſeculi ferebat genius, diu, multumque attritus. Annon enim in Sanctorum, in Pontificum, in Principum, in Nationum virtutibus, geſtis, bellis, præclaris facinoribus deſcribendis, extollendis, verſuque, vel proſa celebrandis, Hiſtorici partes, munuſque inſigne eſt perſecutus? Annon ad illum, ut Hiſtorici &, nomine, & ſubſellio dignum appellant Joannes De Pineda (459), Guillelmus Burius (460), Ludovicus Cellotius (461), Nicolaus Reuſnerus (462), Agnellus Maffei (463), Joannes Jacobus Chiflet (464), Ludovicus Antonius Muratori (465), Joſeph Antonius Saxius (466), Laurentius Berti (467), Robertus Sala (468), magnæ Encyclopediæ adnotator (469), ut Baronium (470) ſileam, ut Turſellinum, Sigonium, Surium, Torelli, Honoratum a S. Maria, Benedictum XIV., Keislingium, Cardinalem Quirini, Bayle etiam, alioſque, ne ipſis exceptis Bollandianis, quamvis a Daniele Papebrochio dictus eſt *Poeta melior*, *quam*

(459) *De la Monarchia Eccleſiaſtica* libro XXII. cap. XXXIII. N. IV.
(460) In Innocentio II.
(461) *De Hierarchia* lib. V. cap. IX. p. 299.
(462) Refert Mantuani *objurgationem cum exhortatione ad capienda arma contra Infideles*. Vol. II. De *bello Turcico orationes, & conſultationes* pag. m. 272.
(463) *Annali di Mantova* lib. XI. cap. VI.
(464) *Anaſtaſi Childerici Francorum Regis &c.* cap. XXII. pag. 328.
(465) *Rerum Ital. Scripp.* tom. XX. ante *Hiſtoriam Mantuæ* Bartholomæi Sacchi, vulgo, Platinæ. Videſis & Joannem Georgium Græevium ad eamdem Platinæ hiſtoriam *Theſauro antiquitatum, & hiſtoriarum Italiæ* tom. IV. parte II.
(466) Utitur Saxius & Mantuani auctoritate, quo SS. Corporum Gervaſii, & Protaſii mm. poſſeſſionem Mediolano vindicet, diſſertatione, quam de eo argumenti genere, adverſus Papebrochium adornavit. Mediolani in 4. M. DCC. XIX. cap. IV. §. 52.
(467) *Iſagoge ad ſacram geographiam* cap. II., alibique.
(468) Noris ad Joannem Bona *Rerum Liturgicarum* tomo III. lib. II. cap. I. §. IV. N. I.
(469) Ad art. *Northumberland.* tom. XI. pag. 211. edit. Liburn. inchoatæ an. M. DCC. LXX.
(470) Semel, atque iterum in *Martyrologio*. Adde Odoricum Raynaldi in *Annalium Baronii continuatione* ad an. M. CCCC. LXXIII. N. LXIII. tom. X. pag. 541. edit. Lucenſis M. DCC. LIII. Bertrandum d'Argenıré (*Hiſtoire de Bretagne* liv. X. chap. XLII.), Philippum Argelati (*Biblioth. Scripp. Mediol.* tom. II. col. 1387.

quam Hiſtoricus (471), quod tamen ita Biographo illi clariſſimo dabimus, ut nec ipſi ejus cenſuram, nec Mantuano narrationes ſuas vitio vertamus; etſi enim illud omnino concedendum, plura eſſe in Vate N. cl. poeticis, ut cum Livio (472) dixerim, « Poeticis magis decora fabulis, quam » incorruptis rerum geſtarum monumentis. » quod vel ipſis, non equidem infimæ notæ hiſtoricis Herodoto, Plutarcho, Dionyſio Halic, Livio, Valerio M., Diodoro &c. paſſim exprobratum, ceu nupero quoque Auctori Joanni Carolo Denina (473) obſervatum eſt, quibus Svetonium patriæ N. eximium decus, Scriptorque nitidiſſimus Comes S. Raphaelis (474), alioſque alii adjungunt (475), ne cum Flavio Vopiſco (476) « Neminem Scriptorem, quantum ad Hiſto- » riam pertinet, non aliquid eſſe mentitum » affirmem; illud tamen, hoc loci, oratos velim ſeverioris, ac nimium difficilis ingenii Criticos, non id jure exigi a Poeta, ut iis omnibus, quæ ineluctabili rationum pondere aſſerta non ſint, abſtineat, nullaſque referat uno vulgi rumore (477) ſuſceptas traditiones: annon imo, ut olim eſt a Rapin (478), atque Pontano (479) dictum: « Fictio magis, quam carmen » poetam facit. » qui adeo, ubi Hiſtorici munus, quod plures ſolent, perſequitur, lectorem deſideret ea eruditionis ſupellectile, ea ingenii dexteritate præditum, ut facile, quæ mere,

(471) Tomo III. die XXIII. Aprilis. *Prævio Comment. ad acta Megalo-Martyris S. Georgii* §. III. N. 18. quod ipſum repetit *Reſponſionibus ad N. Sebaſtianum a S. Paulo* art. XI. §. XIV. N. 96.

(472) Præfat. in Hiſt. Rom.

(473) *De ſtudio Theologiæ* lib. II. cap. III.

(474) *Storia di due ſecoli famoſi in Italia* parte I. cap. XX.

(475) Adiſis & Petrum Le Brun (*Hiſtoire critique des pratiques ſuperſtitieuſes* tome I. liv. I. chapp. I. II. III.), Feyjoo (*Theatro critico univerſal* tom. II. diſc. II. tom. IV. diſc. VIII.) &c.

(476) *In Aureliano*. Inter *Auguſtæ*, ut vocant, *Hiſtoriæ* Scriptores a Caſaubono, Pariſiis, anno M. DC. III. in 4. editos pag. 308.

(477) Præſertim quum & illud nonnumquam uſurpare liceat:

Certus abeſt Auctor; ſed vox hoc nuntiat omnis.
Credo tibi, verum dicere, fama, ſoles.
Martialis lib. VII. *Epigr.* V.

(478) *Reflexions ſur la Poetique en général* §. XX. Œuvres tom. II. pag. m. 112.

(479) *Progymnaſmatum Latinæ linguæ* tom. II. progymn. LII. in nota.

Digitized by Google

mere, ac pure hiſtorica ſunt ab injectis, data opera, epiſodiis, colloquiis, eventibus, verbo dixerim, fabula mature diſpiciat, rite invicem ſeparet, ſollerter, exacte, acute diſcernat? Ex quo igitur non omnia, quæ canit Mantuanus, hæc ad criticæ regulas ipſe exegerit (exegit videlicet plura (480)), non hinc continuo illud negaveris, multa ab eo &

---

(480) Sic negavit Magos Chriſti adoratores fuiſſe Regia dignitate conſpicuos, ut notatum §. præc.; qua in re ut adverſarios, ita & habuit ſectatores. Negavit Patriarcharum annos menſes fuiſſe, quod tunc « Malalehel quin-
» que annos, & totidem menſes natus genuiſſet. » *De patientia* lib. II. cap. XXXVIII. Ait enim Scriptura *Geneſeos* V. 15. « Vixit autem Malalehel ſexa-
» ginta quinque annis. & genuit Jared. » Pronuntiavit cœſpitaſſe Ovidium, quum caneret lib. *Faſtorum* IV. de Proſerpina, & ſociabus:

. . . . Comites accedite, dixit,
  Et mecum plenos flore referte ſinus.
Præda puellares animos oblectat inanis,
  Et non ſentitur ſedulitate labor.
Hæc implet lento calathos e vimine nexos,
  Hæc gremium, laxos degravat illa ſinus.
Illa legit calthas, huic ſunt violaria curæ,
  Illa papavereas ſubſecat ungue comas.
Has Hyacinthe tenes, illas amaranthe moraris,
  Pars thyma, pars rorem, pars melitoon amat.
Plurima lecta roſa eſt, ſunt & ſine nomine flores.
  Ipſa crocos tenues, liliaque alba legit.

Narrantur hic ſcilicet collecti flores: « qui numquam legi poſſunt uno die;
» ſed nec uno menſe; violæ namque florent veris initio, roſæ vere jam præ-
» cipiti, &, paulo poſt roſas, lilia alba: amaranthus intrante autumno, &
» crocum menſe Octobris. » Inquit Mantuanus (*Epiſtola contra Calumniatores* pagg. 86. 87.), de quo rurſus hæc tradit, in ejus *Apologia* (pag. 148.) Prolemæus: « Dixit mihi aliquando inter ambulandum, ſi nonnulli noſtræ æta-
» tis ſunt tam ſeveri cenſores Poetarum, quid dicturi eſſent, ſi nunc pri-
» mum ederetur Æneis Virgilii noſtri, in cujus prima pagina tot licentiæ,
» ne dicam errores legenti ſe offerunt? . . . . . Dicerent enim, quod Tuc-
» cæ quoque, & Varo viſum eſt, Maronem tantum opus male inchoaſſe,
» & quatuor primos verſus ex fronte tollendos. Item quod dicenda male
» propoſuerit, quum dicit:

»   Arma, virumque cano . . . . :

» nam eodem ordine proponere debemus, quo exequimur; ipſe autem pri-
» mo exequitur de Viro, poſtea de bello. Item, quod falſo dici videatur:

»   . . . . Trojæ qui primus ab oris.

» nam Æneas non primus, ſed Diomedes ab oris Trojæ venit in Italiam;
» nam tempore Æneæ jam condiderat Argyrippam . . . . Item, quum
» dicitur:

»   . . . . Terris jactatus, & alto,

Digitized by Google

& vere fuiſſe, & mature ſcripta: quinimo nec quæcumque illi paſſim objiciuntur, hæc recte in illum animadverſa putaveris. Sic falſum eſt, eo dementiæ ipſum evaſiſſe, ut, quod minus caute ei improperat Jacobus Hyacinthus Serry (481), militem latus Chriſti lancea tranſverberantem, cæcum penitus, ſed ſacrato poſtea ipſius Chriſti cruore ſanitati reſtitutum dixerit (482). Liquet nempe fuiſſe militem illum a Vate N., ceu ægra ſolum acie, lippiſque tantum oculis (483) deſcriptum. En Poetæ verſus, quorum poſtremos

» Improprie locutus ſit . . . . Item, quod dixerit *Latio* pro *in Latium*, » & genus Latinum deſcendiſſe ab Ænea, quum ante Æneam fuerit Latium, » & Latinum genus. » Quod poſtremum notavit exinde in ſuo *Pſeudo-Virgilio* (§. I. pag. 285.) Joannes Harduinus. Alia his affinia, quæ, ſi Scaligerum conſulas, & ipſa artem critices attingunt, reperias apud eumdem Mantuanum cit. *Adverſus Calumniatores Epiſtola*. Quod ſi, quandoquidem huc noſtra deflexit oratio, non in factis modo, ſed & circa verba critica ars aliquando verſatur, ceu liquet ex Honorato a S. Maria (*Reflexions &c.* tom. I. diſſ. IV. part. I. art. XI.); habeas unum ſaltem ejuſce quoque rei ex Mantuano exemplum in voce *Paſcha* (*Faſtorum* lib. II. ubi de feſtis mobilibus).

. . . . Solemnia fiunt
Inclyta, quæ פסח nomeclat Judæa vetuſtas.
Paſcha vocant noſtri corrupto nomine, & iſtam
Judaicæ mendam tulit ignorantia linguæ.
Iſte tamen fluxit Grajis a gentibus error,
Quæ, quod nos *patior* πάσχω dixere, putabant,
Quod Meſſiam paſſum audierant ea tempora circum,
Nomen id exortum. Noſtro פסח dicitur ore:
Tranſitus. Hoc nomen clades Ægyptia fecit.

Quod græcum illius vocis etymon cenſuerint Lactantius, Ambroſius, Irenæus, eos hinc emendandos conſentiunt Walchius (*Diatriba de Lactantio, ejuſque ſtilo* cap. VII.), Argonenſis (opere e Gallico in Latinum a cl. Reineri converſo *De optima legendorum Eccleſiæ Patrum methodo* parte I. cap. VIII.) Laurentius Maſei (nota 34. in Sigonium *De Republica Hebræorum* lib. III. cap. IX. tomo IV. noviſſimæ editionis coll. 129. 130.). At enim haud debent hæc, quæ exempli tantum loco aſſumimus, pluribus nos morari. Atque ea porro ſufficiant, ut ſaltem conjiciamus Mantuanum, quum id operæ pretium duceret, ſeu hiſtorici partes, ſeu Poetæ, vel Philologi munus obiret, penſiculate eſſe locutum, quod & ex alibi adnotatis conſpexeris.

(481) *Exercit.* LV. N. VIII.

(482) Lib. *Faſtorum* III. die XV. Martii fol. 281.

(483) Notatum id Bollandianis, qui, poſt relatos illos Mantuani de S. Longino milite verſus (tom. II. die XV. Martii. Comment. prævio ad acta utriuſque Longini, militis ſcilicet, ac Centurionis §. II. N. 19.), ſic per-

mos tantum quatuor moroſus ille criticus, ſtilique, ut ait Nonnote (484), non undecumque laudabilis, vel, quod Mantuanus minime legerit, vel, ut tuto illum derideat, adducit.

Rege ſub Auguſto, ſub ſucceſſore fuiſti
Centurio. Demum, in foribus quum lenta ſenectus
Jam foret, ad Chriſti crudelia fata cohortem
Jam lippis duxiſti oculis, & lumine tardo.
Tu cæcus non mente minus, quam corpore ſanctum
Lancea, & admoto pectus mucrone petiſti.
Inde, cruor confuſus aquis haſtilia circum
In digitos lapſus, tetigit quum lumina, morbum
Suſtulit . . . .

Patet igitur lippis tantum oculis, ægra acie, lumine tardo, non cæcum penitus, nec more andabatarum ferientem fuiſſe illum a Mantuano depictum: quinimo Sancti hujuſce Militis hiſtoriam exacte fuiſſe, riteque a Poeta N. digeſtam, conceptis verbis, aſſeruit *æquiſſimus artis criticæ æſtimator*, ut a Liberato Faſſono (485), ab Anſaldi (486), aliiſque dicitur, Honoratus a S. Maria (487).

At gravius eſt, quod fidem hiſtoriæ pertinet, prolatum a quibuſdam de Hiſtorico N. mendacium. Scripſere videlicet Spanheimius (488), Petrus Zornius (489), Ægidius

V Strauch

gunt: « Hæc ille, qui, ne tam inſanus videatur, ut omnino cæco lanceam » tractandam commiſerit, prius dixerat eum *lippis oculis*, *& lumine tardo*, co» hortem duxiſſe ad Chriſti necem. » Subdunt ii quidem, ne vel hoc dici potuiſſe; *quippe & ipſum ſatis auditu eſt abſonum*. At enim ſi his verbis id forte aſſumunt, non poſſe viro militi, ſeni præſertim ophthalmiam ingruere, aut nequiviſſe, lippis oculis, cohortem ducere, aut ducere ſaltem non debuiſſe, rem, puto, dixerunt nec rationi ſatis congruam, nec quæ facile communi omnium experientia firmetur.

(484) *Dictionnaire philoſophique de la Religion* art. *Religieux* qu. VI.

(485) Diſſert. *De cultu Jeſu Chriſto a Magis adhibito* §. IV.

(486) De Martyribus. Contra Dodwellum.

(487) *Reflexions ſur les regles, & ſur l'uſage de la critique* tom. III. liv. V. diſſ. V. art. I. §. I., ubi hæc de Mantuano: « A écrit en vers avec beau» coup d'exactitude l'hiſtoire de S. Longin. »

(488) *Diſſert. hiſtorica de temere credita Petri in Urbem profectione* cap. II.

(489) Vol. II. Opuſculorum ſacrorum, cap. I. diſſert. hiſt. *De Natalitiis Cathedræ S. Petri* §. IV.

Digitized by Google

Strauch (490), alii, Mantuanum de adventu Petri Romam nihil locutum, quod, etſi nec Mantuano, cui plura omiſiſſe licuit, injurium, neque Catholicæ ſententiæ de Romana Petri ſede foret incommodum; ne tamen circa *virum graviſſimum*, ut Poetam N. Mamachius nominat, impune mentiantur, vel & calumnientur Proteſtantes, adverſus citatos ſcribillitarios, hunc Mantuani de Apoſtolorum Principe locum (491) adducunt ipſe Thomas Maria Mamachius (492), quique ex illo multum profeciſſe potuit, eruditus Petrus Franciſcus Pogginius (493):

Inde per Ægeum, per Cycladas, Joniumque,
Multa mari, & terris diſcrimina paſſus ad urbem
Romuleam mundi dominam, rerumque potentem
Venit, ubi æterni jaceret primordia regni.

Folio autem præcedenti hæc jam de Nerone canebat:

Juſſit enim Petrum, quo non inſignior alter
Relligione fuit, pedibus ſublime levatis,
Ore in humum verſo, pendere patentibus ulnis,
Et paulum rigido jugulum ſubmittere ferro.

» Abeant nunc Proteſtantes illi, concludit Mamachius (494),
» Petri itineris Romani oppugnatores, atque ex Mantuani
» carminibus Petrum, neque martyrium obiiſſe Romæ, ne-
» que Romam veniſſe umquam, ſi poſſint, efficiant. »

Verum alia attingenda nobis quæſtio eſt, deque Joannæ Papiſſæ fabula, quam & ſuis celebravit carminibus hic N. Hiſtoricus, pauca mox adnotanda. Occurrunt, inquit de Vatis

(490) Seu mavis Nicolaus Petræus *Differt. Hiſtorico-Theolog. de vita S. Petri.*
(491) Ex lib. *Faſtorum* VI. fol. 315.
(492) *Originum, & antiquitatum Chriſtianarum* tom. V. lib. IV. parte II. cap. IV. p. 587.
(493) *De Romano D. Petri itinere, & Epiſcopatu* exercit. I.
(494) Cit. loco pag. 589. in Nota. Affinia de S. Paulo reperias apud eumdem Mantuanum *Parthenices* I. lib. II. v. 345. ſeqq.

Digitized by Google

Vatis N. poëmate *Alphonſus* inſcripto, poſt Niceron (495), Freytag (496) « Occurrunt libro III. fol. 44. b. tres ver» ſus, quibus Joannam Papiſſam in inferno pænas luere ce» cinit, quique a fabulæ patronis veluti teſtimonium omni » exceptione majus proferri ſolent.

» Hic pendebat adhuc ſexum mentita virilem
» Fœmina, cui triplici Phrygiam diademate mitram
» Extollebat apex, & pontificalis adulter.

Quæ ſane Poetæ N. verba ſibi, ex legitimam Romanæ Cathedræ ſucceſſionem impugnantium ore, objiciunt Dominicus Gravina, *De notis, ſeu ſignis Eccleſiæ* (497), & Dominicus a SS. Trinitate (498) *De Summo Pontifice Romano*; hæcque demum illa ſunt, quæ una e Mantuani operibus delenda rectiſſime eſt a Fidei per Hiſpaniam Quæſitore Antonio Sotomayor (499) pronuntiatum: neque enim, niſi fabulam, continent, eamque putidiſſimam; licet non ejuſmodi eam fuiſſe, quam & Mantuanus, & alius quivis, utroque ſtans pede, rejiceret, ex ea argumentorum copia, quæ congeri ab ejus propugnatoribus ſolet, manifeſte nimis eruitur, unde nec temporis diſpendium ſe facturos arbitrati ſunt viri ſpectatiſſimi, Florimundus (500), Leo Alla-

(495) *Mémoires &c.* tom. XXVII. pag. 119.
(496) *Apparatus litterarii* tom. III. Notis ad §. VI. pag. 30., quo loci ſubdit. « Conf. Merkwürdige Hiſtorie der Pabſtin Johanna aus des Herrn von » Spanheim Profeſſoris der Academie zu Leyden, lateiniſchen Diſſertation » von dem Herrn l' Enfant gezogen vnd von demſelben nebſt verſchiedenen » Anmerkungen des Herrn des Vignoles in Franzæſiſcher Sprache herauſgegeben; » nunmehro aber wegen ihrer Vortrefflichkeit aus dem Franzæſiſchen ins Teu» tſche uberſetzet. Erfurt. vnd Leipz. 1737. in 8. parte II. cap. V. p. 154.
(497) Apud Joannem Thomam de Roccaberti *Bibliotheca Maxima Pontificia* tom. VIII. pag. 758. ſeqq.
(498) Penes eumdem Roccaberti tom. X. pag. 290. &c.
(499) *Indice librorum prohibitorum expurgatorio* claſſe II. litt. B.
(500) In ſuo *L'Anti-Papeſſe*, quo loci chap XXII. n. IV. Mantuanum dire vexat, quaſi hiſtoriam illam nullis non coloribus pinxerit, hæcque paulo concitatior de eo ſcribit: « Renfermé dans un cloitre il a dans ſes poemes » repréſenté la Papeſſe, avec plus d'honte, & d'infamie, que nul n'avoit ja» mais fait: c'eſt Baptiſte Mantuan, lequel en parle ainſi.

tius (501), atque, ut ſileam cæteros, ipſe Bayle (502), ſi vacuum illud otioſorum, imo & malignantium hominum commentum, ex profeſſo, aggrederentur, ac nullo ſtaretalo evincerent.

Alio nunc ſuſcepti muneris partes nos vocant, atque alius, quem hic expendamus, Poetæ N. locus, ex carmine S. Nicolai Tolentinatis profertur. « In fine libri I. (verba » uſurpo citati nuper Fraytag (503)) Merlinum Britanni- » cum, quem magicis artibus plurimum valuiſſe nonnulli » Scriptores perhibent, cælitibus adſcripſit:

» . . . . Vitæ venerabilis olim
» Vir fuit, & Vates venturi præſcius ævi
» Merlinius, Laris infandi de ſemine cretus.
» Hic ſatus infami coitu pietate refulſit
» Eximia ſuperum factus poſt funera conſors. »

Accipiamus hæc igitur de Ambroſio Merlinio, quem turpi commercio natum commemorant appoſita Ludovico Moreri additamenta, quique apud Geſnerum (504), alioſque *Mago-*

» Je vy en un gibet cette fine femelle,
» Qui rraveſtie en homme, & feignant un ſaint zele
» Juſqu'au ſiege Papal, par ruſe, étoir monté:
» Or avoit ſur ſon chef cette putte effrontée
» Le triple diademe, & ſon paillard étoit
» Auprès d'elle pendu, qui ſon mal deteſtoit.

» Ceſtuy-cy adjoute, pour l'embeliſſement du conte, la penderie de ce mayſ- » tre Eſcuyer de l'écurerie papale, donr nul n'avoit jamais parlé, que luy. » Quibus in verbis Remondi fidem deſideres; nullibi enim de hippagogo, ſeu agaſone, nullibi de aliquo, niſi fœminæ illius, & quidem apud inferos ſuſpendio loquitur Poeta N., quod & Alexandro Cooke adverſus Florimundum ſcribenti adnotatum eſt, ipſique Bayle (Dictionn. art. *Papeſſe* Rem. D. Nota 62. tom. IV. pag. m. 473.) animadverſum. Quod vero putidius cæteris rem Mantuanus expreſſerit, id vero, ni mavis Remundo negaſſe, Chriſtiani Poetæ zelo, cujus certe nihil deerat Mantuano, dandum erit omnino. Quamquam neminem forte reperias, qui preſſius hiſtoriam illam attigerit; tantum aberat, ut conquiſitis ſedulo mendacibus phaleris exornare eam ſtuderet, fucoque, ac vanis pigmentis delinire.

(501) *Confutatio Fabulæ de Joanna Papiſſa ex monumentis græcis.*

(502) *Dictionn. Hiſt.-Crit.* art. *Papeſſe.*

(503) Sæpe cit. *Apparatus litterarii* tom. III. Notis ad §. VI. pag. 23.

(504) In *Bibliotheca*. Adde Joannem Pitſeum *De illuſtribus Britanniæ Scripp.* N. 39. pag. 89.

Digitized by Google

Magorum Anteſignanus audit; ergone corripiendus illico, emendanduſque Mantuanus? Viri illius vaticinia ad annos ſexcentos in pluribus manifeſte completa ſcribit relatus a Joanne Alberto Fabricio (505) Ordericus Vitali (506). Magiæ inſimulationem quod attinet facile id quidem evenire potuit V., quo vixit, Eccleſiæ ſeculo, Viro mathematicis cognitionibus, ac rebus phyſicis, uti de eo ſcribit Lelandus (507), attritiſſimo, quo fere pacto (rem nemini ignotam dico) evenit poſtmodum, ſeculis vicinioribus, Rogerio Bacon, Trithemio, Pico, aliis, ob quædam præclare a ſe adinventa, in Magiæ ſuſpicionem adductis. Cæterum Merlinium hunc a Merlinio Caledonio, quem *pietate, & doctrina clarum* Pitſeus (508) appellat, quemque cælitus & ipſum afflatum (509), ac inter ſanctos alios apud Cambros ſepultum memorat; non æque ab omnibus fuiſſe olim diſtinctum ex eodem Pitſeo (510) colligitur: facile ergo, utroque Merlinio confuſo, unum, eumdemque putavit Mantuanus, & eum ſcilicet, quem furtiva Venere genitum autumant, & eum, quem vitæ pietate illuſtrem commendant. Utcumque fuerit; neque enim id modo mihi arrogem, ut in re nimis ea quidem implexa definiam, hoc ſaltem liquet, non id gratis omnino, aut, pravo aliquo animi motu, a Poeta N. adſertum (511).

§. IV.

---

(505) *Bibliotheca mediæ, & infimæ latinitatis* tom. V. lib. XII. pag. m. 70.
(506) Lib. XII. ad annum M.C.XXVII. pag. 887.
(507) Capp. XXVI. XXVII.
(508) *De illuſtribus Britanniæ Scripp.* N. 58. pag. 101.
(509) Fabricius quoque id aſſerit. *Bibliotheca mediæ, & infimæ latinitatis* tomo V. lib. XII. pag. m. 70.
(510) Cit. ſup. loco N. 39. pag. 90.
(511) Hiſce non acquieſcat fortaſſis Niceron, qui (*Mémoires &c.* tom. XXVII. pag. 115.) « On reconnoit, inquit, la crédulité, & le peu de jugement de » l'Auteur dans ce, qu'il dit ici, à la fin du premier livre, du fameux Merlin: car quoiqu'il admette le conte vulgaire, qui le fait fils du Diable, il » le reconnoit pour un Prophete, & le met, de ſa grace, au nombre des » Saints. Voici le paſſage . . . . *Vitæ Venerabilis olim* &c. » At enim, quantumlibet exclamet Niceron, haud multum univerſam hanc rem in Mantuano demirer, quem etſi defendere poſſem, hocque argumenti genus latius, penitiuſque diducere, quum tamen & meæ parco, & legentium verecundiæ, unum illud hoc loci ſatius habeam, monere, inquam, prolificum nefandi Laris concubitum a Delrio (*Diſquiſitionum magicarum* tom. I. lib. II. qu. XV.),

§. IV.

PHILOSOPHI INSIGNIS LAUDEM SIBI COMPARAVIT.

DE philoſophicis Poetæ N. cognitionibus nihil, arbitror, eſt, quod ultra adjiciamus: namque Poeta erat; fuit igitur & Philoſophus: « Quid enim eſt aliud poetice, inquit terſiſſimus,

---

a Leone Allatio (*De patria Homeri* cap. II. pag. m. 30.), ac nuperrime a doctiſſimo Theologiæ in Ovetana Univerſitate anteceſſore Benedicto Hieronymo Feyjoo (*Cartas eruditas, y curioſas, en que por la mayor parte ſe continua el deſignio de el Teatro critico*. Tom. I. carta XII. pag. 142., & ſeqq. Matrit. edit. in 8. M. DCC. LI.) propugnatum, quorum priorem illum etſi ridet, certe non refellit art. *Incube* Encyclopédie. Itaque naſci inde homines poſſe viri melioribus etiam, ac Mantuanus, ſeculis editi cenſuere: at poſſe hominum quemlibet ſanctitate inclareſcere nemini aut jure olim negatum eſt, aut aliquando negabitur; non ergo, etſi falſa protuliſſe dicatur Mantuanus, aut impoſſibilia dixit, aut levibus tantum ingeniis adſerta paradoxa, quibus minus ægre admittendis conducant fortaſſe, quæ diſputat, inter alios, Vir equidem non ineptus Petrus *Le Brun* (tom I. *hiſt. crit. des pratiques ſuperſtitieuſes* liv. I., & II.). Quod ſi erraſſe dicendus Mantuanus, dicatur ultro, diceretque ipſe, ſi viveret, qui, ut a fratre ejus Ptolemæo memoriæ proditum eſt (in illius *Apologia* tom. IV. pag. 122.), de errore, quem in *Trophæo Gonzagæ* patrarat, quondam commonitus palinodiam libens cecinit, his verſibus:

Carmina de noſtro duo ſunt tollenda Trophæo,
Quæ liber in primo limine quartus habet.
Dum memoro magni fatum Demoſthenis, erro.
Alterius culpam culpa ſecuta mea eſt.
Scribo, quod invenio ſcriptum. Seducta fefellit
Me mea credulitas, & male cauta fides ....

Erroris, cujus hic meminit, ea (ſi id, arrepta occaſione, adnotandum eſt) fuerat cauſa, quam ipſe, his narrat verbis (*Contra Calumniatores* pagg. 83. 84.): « Dum junior olim Demoſthenis vitam e Græco in Latinum per Leonardum verſam perlegerem, & ad locum mortis ejus perveniſſem, pro *Calaurea*, *Calabria* ſcriptum reperi, & ex illo tempore in ea opinione ſemper permanſi, ut crederem Demoſthenem vita functum eſſe in Calabria. Et propterea poſtmodum ſcribens Tropæum Mantuanum, quum quædam Calabriæ loca percurrerem, dixi Demoſthenem occidiſſe in Calabria, quum non in Calabria parte Italiæ, ſed in Calaurea ſcopulo, vel inſula juxta Peloponneſum ad Orientem poſita, vitam veneno commutarit in mortem.

ſiſſimus, idemque acutiſſimus ſcriptor Maximus Tyrius (512), » quam Philoſophia tempore vetuſta, conſonantia metrica, » argumento fabuloſa? Porro Philoſophia, quid aliud, » quam poetice tempore junior, harmonia expeditior, ar- » gumento apertior? » Sed enim, Poetam N. quod attinet, legantur ejus, quæ extant, utriuſque generis ſcripta, ſatiſque, ni vehementer erro, patebit, illum Ethices, Aſtronomiæ, Geographiæ, Metaphyſices, ac etiam, quoad per id tempo-

» Et de hoc ſero certior factus ſum ex lectione codicis græci Strabonis Coſ- » mographi, quem tunc non legeram. » Appellat hic Mantuanus ad Strabonis verba illa *De ſitu orbis* lib. VIII. (pag. 360. Baſil. græco-lat. edit. in fol. M. D. XLIX.) « Tantopere autem ipſius Dei veneratio valuit apud Græcos, » ut potiti etiam rerum Macedones hucuſque tutum, ſecurumque loci perſu- » gium, inviolatumque ſervarent, locique ſupplices revelli ſint veriti, qui » ad Calauriam ipſam confugerint (τὸς εἰς καλαυρίαν καταφυγόντας.) adeo, ut » Archias comitatu ſeptus militum Demoſthenem violare minime ſit auſus. » Confer, ſi vacat, Chriſtophorum Collarium *Geographiæ antiquæ* lib. II. cap. XIV. §. XXXI. pag. m. 1013. Interim hiſce omnibus tantum abeſt, ut quidpiam detractum putem Vari diſertiſſimo, quin id mihi argumento eſt, Virum illum fuiſſe, ut in exergo ejus habet effigies a N. Stephano Baſſignana Lugdunenſi editioni præfixa, utque paſſim a Scriptoribus vocitatur, *Ter maximum*. notum ſcilicet, quod graviter olim a Celſo (libro VIII. cap. IV.) pronuntiatum eſt: « Levia ingenia, quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. » Hinc ea paſinodiæ laus, ea encomia, quæ, fuſiori ſtilo, perſequitur Antonius Maria Salvini (*Diſcorſi Academici* diſc. LXX.). Jam vero & nobis ita comparatum, ut, quam in Mantuano laudamus ingenuitatem, ea & ipſi gloriemur plurimum: agnoſcimus proinde levem in Auctore N. nævum ei a Lancellotti, quem honoris cauſa nomino, improperatum, quod ſecundam in *profuturus* produxerit, velut, quum ait (*In morte Collæ* fol. 126.) de hominis anima:

. . . . Paverque
Profutura, cupit nocitura ignara futuri.

At hoc eſt, quod in critico eruditiſſimo haud ſatis intelligam, eccur, inquam, adverſus Mantuanum eam unam Virgilii auctoritatem adduxerit, qua non τῦ *profuturus*, ſed τῦ *futurus* quantitatem oſtenderet. An id ab eo factum, ut brevem primam in *futurus* Mantuanum doceret? Aſt corripuit illam, eodem ipſo, quem nuper laudabam, verſiculo, ut fere ſuſpicer corruptum eum Mantuani locum, qui rurſus, ne ſingula huc referam, Virgilium (Æneidos X. 501.) penes exſcribens, ait (*De calamitatib. ſui temporis* lib. III.):

Nubila mens hominum, ſortiſque ignara futuræ.

Errarit igitur Mantuanus, at tamen, quæ de *ſyſtole*, ac *diaſtole* tradunt Grammatici, animo ſunt revolvenda.

(512) *Serm.* XXIX. edit. græco-lat. Pariſ. in 8. M.DLVII. pag. 220.

temporis licuit, Phyſices ampliſſimam habuiſſe notitiam; nullamque non partem, libertate vere philoſophica (513) atti-

(513) Ignoverit amicus lector ſi vix me contineo, quominus Auctorem N. Potamonicum Philoſophum, hoc loci, ſalutem. Ac, mea quidem ſententia, utique Mantuanus iis accenſendus videtur, qui nullius addicti jurare in verba magiſtri, quo eos cunque rapit ſpecies pulcherrima veri, eo læti contendunt. Id etſi binis poſſet verbis evinci, quum nequiverit non eſſe in Philoſophia Potamonicus, qui in non dogmaticis Theologiæ veritatibus Eclecticus erat, ceu ipſe de ſe teſtatus eſt lib. *De patientia* I. cap. XXXI., ubi de patientia, ac fortitudine ſcribit: « De his aliter ab aliis diſſeri, & præcipue a Thoma Aquinate neſcii non ſumus; ſed more Academicorum nulli ſectæ addicti ex unaquaque, arbitratu noſtro, quod placet, aſſumimus. » in ea tamen re oſtendenda libet pauliſper immorari. Itaque ſic habet cit. *de patientia* lib. I. cap. IV. « Libet enim hic a Platone diſſentire, qui cum ſcientiarum habitibus venire animas putavit in corpora: placet magis in Ariſtotelis venire diatribam, cui placet animas, quum vivificandis corporibus ſociantur, ſimiles eſſe tabulæ puræ, in qua nihil eſt pictum, nihil figuratum. » Interim Platonem tuetur lib. III. cap. XXII., eique alibi etiam ſubſcribit. Stagiræum autem Philoſophum, quem præterea ſequitur, eodem citato opere, tum alibi, tum lib. II. cap. XVIII. arguit poſtea, eodem libro capp. VI. XLIV. &c. Sed & ejuſdem libri II. caput VII. inſcribitur: « In quo conſiſtat felcitas in hac vita contra Peripateticos, & Stoicos. » ait vero in iis eam conſtituendam, quæ docet magiſter omnium Chriſtus; ſyſtema, ut olim a Patribus, ita & erudite nuper a Joſeph Guerreri *Della Filoſofia morale Criſtiana* illuſtratum. Rurſus lib. II. cap. XVIII. adverſus Pythagoram inſurgit. Lib. autem ejuſdem operis III. cap. X. Avicennam exagitat, uti & lib. II. cap. XXXVIII. Plinium, cui tamen adſtipulatur aliis ſcriptorum ſuorum locis, præſertim vero libri II. capp. XXVIII. XXXIII. &c. Quidni autem ita ille ſe gereret, qui ut non illud ignorare poterat, homines omnes idemtidem cæſpitare, ſic & probe illud ſciebat, quod recte olim fuerat a Lactantio dictum (*Divin. Inſtit.* lib. VII. cap. VII.) « Nullam ſectam fuiſſe tam deviam, nec Philoſophum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. » Quam rem facile exinde quis inferat, quod, ut nullum Philoſophum, andabatarum in morem, Auctor N. ſectatus eſt, ita nec eorum quempiam nou plurimi ſemper æſtimaverit: « Utinam, inquit de Joanne Pico (epiſtola ad illius nepotem Joannem Franciſcum Picum inter hujus opera Baſileæ, ut ante monuimus, edita lib. II. *Epiſtolarum* pag. 1296.) « Utinam opus illud de concordia Platonis, & Ariſtotelis, antequam decederet, abſolviſſet; pollicebatur enim titulus ejus omnem antiquorum Philoſophiam. » Quibus ſcilicet quid, ſodes, clarius ad ejus erga veteres Philoſophos omnes obſequium, ſtudiumque innuendum? Quod rurſus ſtudium, quam æſtimationem inde etiam conjeceris, quod omnium indiſcriminatim lectioni ſedulus Auctor N. incumberet, quorum quod ingens illi non deeſſet copia apud Refrigerium ſuum, eo quoque nomine, ruri apud ipſum, ut ante præmonitum eſt, libens manebat, quin & ſibi temperare haud potuit, quominus, *Villa Refrigerii* (tom. opp. III.), eam rem preſſius attingeret: Hic, inquit:

Hic ſedem Plutarchus habet, peregrinaque noſtris
Comparat, & magno Heroum facta explicat ore.
Hic Pater hiſtoriæ Livius grave, grande, ſuperbum

Digitized by Google

attigiſſe: quinimo & de re muſica aliquid fuiſſe a Baptiſta Mantuano conſcriptum expreſſe teſtatur Auctor e Societate

X Jeſu

Fatur, & eloquio terſo, dulci, atque venuſto,
Magnificoque ſonans Romana Saluſtius acta.
Hic Strabo velut ſex alto ſpeculatur olympo
Regna, urbes, pelagi tractus, quod circuit orbem,
Quod dirimit terras, mundumque amplectitur omnem.
Plinius omne genus rerum, quod dædala finxit
Mirificis natura viis, ſalebroſus, & aſper,
Verba coagmentans duris coeuntia nervis
Libat, & immenſi numerat miracula mundi.
Hic Cicero, cui dicendi ſuprema facultas,
Et ſermonis apex, rigidis cui fortior armis
Lingua per Æthiopum populos audita, per Indos:
Hic Æneis, opus, cui non certaverit omnis
Græcia, naturam ſuperat, deſcendit ab aſtris,
Ab Jove defluxit, lepor immortalis in illa eſt,
Majeſtaſque Deum latebris confeſſa latentem
Corporeis, qui qualem hominem decet eſſe monebat.
Crimina mordaci Venuſinus Horatius ore
Taxat, & extollit lyricos ad ſidera cantus.
Hic magni Sophiæ Autores: Stagiræus, & alta
Mente Plato, conſulta Deum qui novit, & omne
Quod licet externo, quod ſcire mathemate noſtro.
Hic Stridone ſatus loquitur Pater ore trilingui,
Acris energiæ ſtimulis mortalia corda
Sollicitans, rapidis acuit Deus enthea flammis
Pectora, & acclamans tonitru facundia magno
Fulminat, ac verbis animi tonat impetus altis.
Hic ſedem Pater Hipponis Carthagine natus
Auguſtinus habet, cujus ſapientia, fontis
Inſtar inexhauſti, per mille volumina fluxit:
Hic alii plures, quos enumerare volentem
Copia fruſtratur, vicinaque veſpera nocti.

Quibus in verbis neſcias fortaſſe quid mirere magis, ſtilum ne, an eruditionem, ingenium, an judicium, rerumque delectum, quæ omnia rurſus, ut alibi ſæpe, ita & *Alphonſi* lib. V. potiſſimum oſtendit, ubi de Leandro, Paulo Oroſio, Iſidoro, aliiſque, per Hiſpaniam præſertim, celeberrimis viris ſic, pro more ſuo, eleganter:

. . . . Turbinis inſtar
Arriadas Leander agens, & tempora Paulus
Omnia ſurgentis memorans ab origine mundi.
Artis, & ingenii locuples Iſidorus, utraque
Inclytus Heſperia, clara hæc ortu, illa ſepulcro.
Hic ſublime decus Libyæ Fulgentius olim
Exul, & ablato ſulcans maria alta magiſtro.
Hic cenſor morum Eutropius, cui læta ſenectus . . . . :
Romanuſque Pater Damaſus, cui clarus Arator
It comes, & multo radians Prudentius auro,

Jeſu eruditiſſimus, qui fortaſſis, utpote eamdem cum illo patriam ſortitus, in eaque diu verſatus, aliqua præ manibus

---

Seduliuſque gravi reſonans myſteria cantu,
Atque novam tetrica legem gravitate Juvencus
Auſus & heroo Chriſtum celebrare cothurno.
Tu quoque, Sidoni, proles Aquitanica, quondam
Paſtor apud Ligerim, Tuque o pietate refulgens
Eximia Pauline Pater, qui barbara vincla
Forti animo perfers, & Tu numeroſe Boeti,
Qui ſervare doces vocum intervalla, lyramque
Tendere, & inflari vocalibus organa ventis,
Auſonio conjunctus ades . . . .

Itaque decebat auctum tot cognitionibus virum, tanta præditum eruditione hominem, ea frui libertate, eam deligendi facultatem habere, quæ unica certe eſt, ut alios inter adnotat Muratorius (*Delle riſleſſioni ſopra il buon guſto* parte II. cap. X.) veri aliquando inveniendi via. Quo autem prudens hæc philoſophandi libertas in Mantuano evaſerit, hi ejus indicent verſus (*Dionyſii Areopag.* lib. I. fol. 163. 164.), ubi de Græciæ habitatoribus: Nec minus eſt, inquit:

Nec minus eſt, quod naturam cognoſcere rerum,
Quod potuere oculis homines his collibus orti,
Gens prope cæleſtis cauſas penetrare latentes.
Nec ſat erant inventa domi, peregrina ſecabant
Æquora, fatidicam Memphim, ſuppoſtaque Cancro
Æthiopum regna, & combuſtam ardore Syenen
Perpetuo, menſam ſolis, ſtatuamque loquentem.
Infinita ibant quaſi tum ambage viarum,
Chaldæos etiam, nudiſque habitata Sophiſtis,
Trans Indi, trans Gangis aquas, deſerta petebant.
Tanta explorandi ſitis, & ſolertia veri.
Prædati tandem Sophias orientis, & auſtri
In patriam, ſimiles apibus, quæ rura volantes
Per longinqua legunt flaventia mella, redibant.
Hinc genus Italicum Sophiæ, quod condidit olim
Pythagoras Calabris longum verſatus in oris,
Et quod ab antiquo memorant Thalete repertum
Nomen adhuc ſervans, quod fecit Ionica tellus.
Hi duo ſunt, veois fontes qui grandibus implent
Doctrinæ, ſine fine amplum, ſine littore pontum.
Cernis in hoc ſparſas, quaſi Cycladas æquore, ſectas,
In quibus authores clari Titania ſupra
Aſtra, viri turbam cathedris affantur ab altis.
Hic magnos aperit tractus Stoa montibus altis
Aſpera, florigeris redolens Academia campis.
Adde Stagiriticos agros, dumetaque paucis
Pervia, in obſcuras hominem ducentia ſylvas.
Hoc ambita freto, nigriſque habitata colubris
Cyrenæa palus, Cynici ſine frugibus horti.
Atque Epicuræi famoſa mapalia ſaltus.
Et pleræque aliæ, quarum jam ſola ſuperſunt
Nomina. Res autem, Chriſto apparente, receſſit.

Digitized by Google

bus habuit muſicæ illius monumenta, P. Antonius Poſſevinus (514): patet adeo, nonniſi rectiſſimefuiſſe eum a Tri-

(514) *Bibliothecæ ſelectæ* lib. XV. cap. VI. Quin & fuiſſe illum « neque Le» gum, aut Juris civilis, neque Medicinæ ignarum » conceptis verbis affirmat (epiſtola II. tomi nuncupatoria) Mantuani editor Laurentius Cuperus. Id, quod, & ipſa ejus ſcripta, non uno loco, inſinuant. Conferantur, quæ de vario morborum genere ſcribit *De patientia* lib. II. cap. XXX., quæ item memorat *Alphonſi* lib. II., aliiſque operum ſuorum locis. Quam autem habuerit Legum peritiam, ut aliunde conjici poteſt, ſic, & potiſſimum, ab eo, quem *contra detractores* ſcripſit, dialogo poſt medium. Cæterum, neque putem in hiſce facultatibus, ac Medice præſertim, admodum excelluiſſe Mantuanum; quamvis haud illud abnuerim, hoc ſenſu, inter Medicos cenſeri eum poſſe; quo & Homerus, & Virgilius, & alii aliquot penes Fabricium (*Bibliothecæ Græcæ* vol. XIII. lib. VI. cap. IX.), quatenus, ſcilicet, præcepta quædam medica, morbos aliquot, aliqua pharmaca poematis ſuis memoraverunt. Hic autem obvia ſe ſe offert occaſio ſupinum Joannis Burchardi Menkenii errorem detegendi, qui, in ſuo germanice ſcripto eruditorum Lexico, quæcumque ſeu metro, ſeu proſa, ſeu philologica, ſeu medica a Baptiſta Fera Archiatro Mantuano exarata ſunt, ea omnia Carmelitæ N. adjudicavit, errore, quem, & ſua cl. Cinelli continuatione, adverterat Roboretani Carmeli Prior Marianus Ruele (*Biblioteca volante* Scanzia XXI. pag. 20.). Erat quidem hic Fera Poetæ N. familiaris, qui & in illum febrientem ſequens hoc luſit epigramma (*Sylvarum* lib. IV.).

Quum febris Medicum ruri vidiſſet agentem,
  Frenduit, & torvas ſic ait ad comites:
Hic eſt, qui toties nos exturbavit ab urbe
  De procerum thalamis, de mulierum adytis.
Cogitat hinc etiam nos exturbare. Quid ergo
  Contra has inſidias conſilii capimus?
I, quartana, tuis ſplenem configge ſagittis,
  Ut cito per venas frigidus humor eat.
Paret, & in vulnus telum fugit. Ille relinquens
  Rus redit, & lecto languidus ecce jacet . . . .

Hic neſcio an & illud de Auctore N. adjecerim, Pictorem eum quoque fuiſſe. Id de eo teſtatur Vaghi (*Comment.* lib. II. pag. 115.) ſcribens: « Fuit » Pictor, & Poeta, ſed in utroque modeſtus, & pius. » Quæ tamen qui accipienda ſint probe aſſequitur peritus lector, cui id facilius forte perſuadeam fuiſſe Mantuanum Lapidariæ etiam rei ſtudioſum, non quod peculiarem aliquam monumentorum ſyllogen adornaverit, præſertim quum id, per ea tempora, conaretur, anno circiter M.CCCC.LXXX. alter magni nominis Carmelita Mantuanæ & ipſe Congregationis alumnus Michael Ferrarinus, de quo, nec, niſi magna cum laude, ſcribunt Muratori (præf. in *Theſaurum novum veterum inſcriptionum*), Maffei (*Græcorum Siglæ Lapidariæ* pag. m. 142.), Montfaucon etiam (*Bibliotheca Bibliothecarum* MMSS. tomo II. pag. 760. codice 5998.), Bimard (apud Muratori loc. cit.), Villiers (*Bibl. Carm.* tom. I. col. 450. &c.), alii; ſed quia, quam ſibi comparaverat, lapidum, marmorumque notitiam, hanc identidem, prout opus tuliſſet, in rem ſuam diligentiſſime uſurpabat. Sic ad ejuſce generis monumenta appellat, Ptolemæi fratris *Epithalamio*, epiſtola *contra Detractores* pag. 66., ac rurſus, alia ſequenti 67. &c. Vide & inferius notam 519.

themio (515), atque inde a N. Ventimiglia (516) *Inſignem Philoſophum* reputatum, jure etiam, ac merito illud a Prædicatorii Ordinis Profeſſore Ferdinando Maria Sicco ſcriptum fuiſſe (517): «Capta a Barbaris Conſtantinopoli, anno mil-
» leſimo

(515) *De laudibus Carmelitarum* lib. II.

(516) In Auctoris N. vita.

(517) *Logicæ, ac Metaphyſicæ Inſtitutiones* Diſſertatione prooemiali de Philoſophia in univerſum cap. VI., quod eſt *De præcipuis recentioribus Philoſophis*. Diceres ab eo exſcriptum Chriſtophorum Auguſtum Heumannum, qui (*Conſpectus Reipublicæ Litterariæ* cap. IV. §. XLVII. pag. m. 145.), hiſce etiam, aliiſque Græcorum doctiſſimis antea nuncupatis, continuo ſubdit: « Itali ho-
» rum partim exemplo, partim inſtitutione eruditi, hac ætate, fuerunt Ga-
» ſparinius, Bartholomæus Facius, Joannes Jovianus Pontanus, Leonardus
» Aretinus, Poggius Florentinus, Laurentius Valla, Flavius Blondus, Ba-
» ptiſta Mantuanus, Bartholomæus Platina, Nicolaus Perottus, Gregorius
» Tiphernas . . . . . &c. »

At dignus omnino, qui, præ cæteris, audiatur (*Hiſtoria critica Philoſophiæ* periodi III. parte I. lib. I. cap. I. §. XIII. tom. IV. Lipſienſis edit. in 4. an. M. DCC. LXVI. pag. 31.) Jacobus Bruckerus, quo loci ſcribit: « . . . . . Præ-
» ter hos, ingens adhuc acervus eorum eſt, qui ſtellarum exorientium in-
» ſtar, diſpellere tenebras, quas barbaries, per tot ſecula, induxerat, & re-
» vocare litterarum lucem, felicibus auſpiciis, conati ſunt, hincque de or-
» natiori quoque Philoſophiæ cultu fuere ſolliciti, inter quos, ſi vel ſolam
» reſpicias Italiam, celeberrimum nomen extulerunt Leonardus Juſtinianus,
» Bartholomæus Facius, ... Marcus Antonius Coccius Sabellicus, Joan-
» nes Baptiſta Mantuanus, Philippus Beroaldus, Accius Sincerus, ſive Jaco-
» bus Sannazarius, ... & cætera caterva, quæ, ſeculo XV. ad vindi-
» candum litterarum honorem ſurrexit, quos, ſerius licet, imitata eſt Gallia,
» Britannia, & Germania. Nemo enim horum ita humaniorem diſciplinam
» tetigit, ut Philoſophiam prorſus negligeret, eamque ex ipſis Ariſtotelis, &
» Interpretum Græcorum fontibus ducere nollet. Quo labore eo facilius
» defuncti ſunt, quo meliorem Græcæ linguæ, & antiquæ hiſtoriæ, etiam
» philoſophicæ, ex lectione veterum Auctorum comparatæ habebant notitiem,
» ſine qua in explicando Ariſtotele fruſtra deſudatur. » Qui hic verentur, ut Baptiſtam Fiera Mantuanum & ipſum, Medicum, ac Poetam appellet Bruckerus, id ipſi, hoc uno ſuſpicari poſſunt nomine, quod forte aut noſtrum ignoraverit cl. Hiſtoricus, aut præ illo digniorem alterum exiſtimaverit: verum qui id probabile, quum, ut notum omnibus, longe magis præ illo Auctor N. inclaruerit dignus proinde, qui æque ſaltem, ac ille, eruditis ſeculi XV. Scriptoribus ab Hiſtorico eruditiſſimo adjungeretur? Sed & illud eſt, quod non abs re humaniſſimus lector attendat, de iis, ſcilicet, eo loco, diſſerere Bruckerum, qui inter literarum, atque *humanioris* præſertim *diſciplinæ* inſtauratores vulgo ſolent commendari: at vero Mantuanum eum Auctorem, qui his adnumeratur, eſſe N. Carmelitam, apertis id verbis, enarrant, ac palam omnibus teſtantur laudandi inferius Sabellicus, Fernus, Bohuerius. Adjicerem, quod in Baillet *Jugemens* tom. IV. pag. 360. ad §. 1267. ſcribit de la Monnoye: « Baptiſta Fiera de Mantoue ne s'eſt jamais appelé, ni Jean
» Baptiſte, ni ſimplement Baptiſte de Mantoue. » Hæc, inquam, ſubnecterem, ſi, ut id numquam ab Auctore ipſo factum dicitur, ita nec fieri a Bruckero, aliiſque potuiſſe certo conſtaret: verumtamen quis ſibi hoc tuto perſuaſerit, quum legit penes Baillet (cit. loco pag. 361.), edita aliquando

» leſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio, Græcorum » multi, Philoſophi, & Litterati, ut Gemiſtius, Beſſario, » Georgius Trapezuntius, Theodorus Gaza, Andronicus, „ Joannes Argyropolus, Joannes Laſcaris, aliique in Italiam » migrarunt, ſuique æmulatione Italorum acuerunt ingenia, » e quibus proinde multi, eodem tempore, celebres extite- » runt, ut Rodulphus Agricola, Baptiſta Mantuanus, An- » tonius Panormitanus, Angelus Politianus, Nicolaus Pe- » rottus, Joannes Franciſcus Poggius, Hieronymus Savona- » rola, Petrus Paulus Vergerius, Hermolaus Barbarus, » Guarinus Veronenſis, Leonardus Aretinus, aliique plures.» Ex hiſce autem, ut id, pro re nata, moneam, qui peculiarem invicem iniſſe viſi ſunt cum Poeta N. neceſſitudinem, cenſentur ii nimirum Angelus Politianus *alterum cum Pico ætatis ſuæ miraculum*, inquit (518) Fabricius, atque Hermolaus Barbarus optime & ipſe de litteris meritus, ac quondam Aquilejenſis Eccleſiæ Patriarcha (519), uti ex mutuis

Mediolani Fieræ opera, hoc titulo: *Joannis Baptiſtæ Mantuani opera?* Atque ea nominis affinitate, evenit haud ſemel, ut, quæ Fieræ eſſent, N. Auctori adſcriberentur; quæ vero contra noſtri erant, ea fuerint Medico illi attributa, veluti, alio quoque loco, monemus, ipſeque a de la Monnoye reprehenſus Baillet ſuo probavit exemplo, dum Carmelitæ N. carmen *adverſus Poetas impudice ſcribentes* Baptiſtæ Fiera adjudicans de ipſo hoc aſſereret (loc. cit. pag. 360.): « Étoit fort ſérieux, & fort ſage, ſoit dans ſes eglogues, » ſoit dans ſes poéſies épiques, s'étant voulu ſignaler même dans un poëme, » qu'il a fait contre les Poëtes laſcifs, & contre les autres écrivains impudics.» Videſis & notam (514). Interea, quam hic gravitatis, modeſtiæque laudem Fieræ impendit Baillet, eam, & Mantuano N. illi imo potiſſimum tribuendam ſcito.

(518) *Bibliotheca mediæ, & infimæ latinitatis* lib. I. pag. m. 101.

(519) Adiſis Bernardum De Rubeis (*Monumenta Eccleſiæ Aquilejenſis* cap. CXII. col. 1060.). Hermolao inſcripſit Poeta N. carmen in obitu Alexandri Corteſii, quod extat *Sylvarum* libris, quodque ſic ille exorditur:

Roma quid excellens dabit, & ſublime ſuorum,
Barbare, nunc operum, quod vulnera mentis, & altum
Pellat ab afflicto jamdudum corde dolorem?
Forte triumphales arcus, ſignataque Regum
Marmora nominibus claris monumenta laborum
Militiæ, & ſtantes antiquo ex ære columnas
Oſtentabit opem vanam, & ſolamen inane?
Rupis Aventinæ tumulum, Tarpejaque ſaxa,
Tot fora, tot circos, & longis eruta ſeclis
Mœnia Carmentæ, gentiſque Erimanthidos arcem;

Digitized by Google

mutuis alterius ad alterum epiſtolis, quarum MS. collectionem, aliis etiam aliquot aliorum Auctorum, præſertim vero Joannis Pici Mirandulani adjectis, appellat *Catalogus Caponianus* (520): ut adeo illud jam, errore procul omni, affirmes, Poetam ſcilicet N. magnam quoque Philoſophiæ laudem

---

Jamque ſenem, multaque cavam teſtudine molem
Amphitheatralis tecti? Veſtigia celſus,
Inſtar montis, apex caput uſque ad ſidera tollens
Servat adhuc. Thermas veteres, delubra Deorum
Semiſepulta ſolo, & ſimulacra jacentia paſſim.
Adde peregrinos latices in mœnia ductos,
Atque ſuperſuſos Campano flumine pontes.
Et gelido caſtella ſinu præbentia latum
Fontibus hoſpitium, clauſiſque natantia lymphis.
Adde Patrem Tyberim, curſu qui dura ſuperbo
Inter ſaxa fremit Regum prope buſta ſuorum.
Adde novem juga turritis creſcentia muris,
Et Divum tot templa ſuper fundata cruorem
Innocuum, tot ſarcophagos, tot ſacra, tot aras:
Magna quidem, & nulli poſthac imitabilis ævo
Roma fuit. Quæcumque, precor, miracula mundus
Terrarum magnis diviſerat intervallis,
Ipſa ſuo prædata orbem concluſerat orbe:
Nil tamen, inter tot veterum decora alta laborum,
Lumina delectat, nihil eſt, quod leniat ægrum,
Nec ſecus accenſis ardent corda ignea flammis,
Ac ſpecus, Ætneo candens ubi Mulciber æſtu
Sudat, & æthereo cudit nova tela Tonanti.
Ite joci procul, ite ſales, trahit omnia ſecum
Gaudia Alexander . . . .

Rurſus in his *φιλάρχαιον* video, *παλαιόφιλον*, Antiquarium.

(520) Pag. 440. cod. MS. CC. XXXV. Horum quoque, Hermolai videlicet, Politiani, Joannis Pici Mirandulani, Baptiſtæ Mantuani laus eſt apud Sabellicum (tom. II. *Enneadis* X. lib. VIII. col. m. 999.), quo etiam loci, eruditos alios aliquot memorat, ac eos inter magni nominis Rhetorem Pomponium Lætum, quocum Mantuanus N., ut ipſe teſtatur (tomo opp. IV. *epiſtola contra Calumniatores* pag. 65.), arctum inierat amicitiæ fœdus, cuique epigramma inſcripſerat tomo I. fol. 102. editum.

Si mea Falconi placuere poemata, forſan
  Edere, & a populo jam licet illa legi:
Ipſe etenim cauta verſus appendere lance
  Novit, & ingenii lumen, & artis habet.
Tu ſuperes, cujus ſententia quæritur, ac ſi
  Sit Clarii dictis anteferenda Dei.
Si placet, edantur; ſi diſplicet, occule: nam ſunt
  Omnia judicio ſubjicienda tuo.

Digitized by Google

laudem conſecutum, illius, inquam, ſcientiæ, quæ ut idem Philoſophus N. canebat (521):

. . . . Cauſas, & nomina rerum
Per media ex imis gradiens ad ſumma, Deumque,
Et mundi metitur iter . . . .
Contemplatur uti rerum longæva propago
Texta ſit, unde prior mundi deſcendit origo,
Et chaos, & ſylvam informem, diſcretaque formis
Corpora, paulatim varias induta figuras,
Vi propria, petiitque ſuis loca viribus apta,
Utque gravem liquido ſuſpenderit aere terram
Omnipotens Opifex duplicis cum prolis honore,
Oceanumque ſuis complexum fluctibus orbem
Fuderit, æthereis incluſerit ignibus auras (522),
Utque feris terras, mare piſcibus, aera ceſſit
Alitibus, variis ornans animantibus orbem,
Ut vaga perluſtret Phœbe duodena quotannis
Sidera fraternum fugiens iter, & modo tractus
Erret ad auſtrinos, Elycen modo viſat ad Arcton.

---

(521) Ex ſeculi quidem genio, imo ex Ovidianis ſcriptis expreſſa. *Parthenices Marianæ* lib. II.

(522) Hæc per hypallagen: neque enim Platonicis Auctor N. aſſideat, qui ſideribus animas incluſerunt: ſic ergo ea accipito, quemadmodum iſta Ovidii *Faſtorum* lib. I.

Cælum flamma petit, propior locus aera cepit,
Sederunt medio terra, fretumque loco.

Ibi imo, ulla abſque figura, vides includi ignibus auras.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

LINGUARUM GRÆCÆ, ET HEBRAICÆ PERITIA EXCELLUIT.

QUEM haſtenus Poetam, quem Theologum, quem Hiſtoricum, quem rurſus Oratorem, ac Philoſophum vidimus, is & linguarum peritia excelluit plurimum, quod ut poteſt fortaſſis, ceu diſtorum quoddam quaſi corrollarium aſſumi, ita & aliunde etiam facile probatur: latinam enim linguam, quod ſpeſtat, non ſcire eam modo, ſed & callere penitus debuit, ut, qui illa extemplo, ac diſertim carmine utebatur, ac proſa; quinimo tantum in illo fuit graviſſimæ hujus linguæ ſtudium, atque deleſtus, ut inter reſtauratæ ejuſdem linguæ Auſtores meruerit ab Hiſtoricis (523) collo-

(523) V. cl. D. Goujet *Diſcours ſur le renouvellement des études* §. III., quo loci de latina lingua hæc memorat: « Eraſme l'écrivoit, & la parloit avec » beaucoup d'élégance. Hermolao Barbaro, le Mantouan, Pic de la Mirande, » Ange Politien, le Cardinal Bembo, les Manuces, Sadolet, Muret, & » beaucoup d'autres ont montré un génie ſupérieur, & une élégance de ſti- » le, qui avoit diſparu pendant bien des ſiecles, & que l'on a encore per- » feſtionné depuis. » Legitur ſermo iſte italice redditus a cl. Gozzi, *Storia Eccleſiaſtica di Mr. Claudio Fleury* tom. XXIV. Firenze in 4. Illi autem præiverat coævus Auſtor Michael Fernus, qui, nuncupatoria orationum Campani ad Bernardinum Caravajal (Recuſa eſt, *Appendice ad Bibliothecam Smithianam* pag. CCLXIV.), hæc habet: « Jam pridem, Pater Reverendiſſime, flos ille » linguæ Latinæ, & dicendi ratio, & quicquid nobis vivida vetuſtas charis » poſteris annixa fuerat demandare, obmutuiſſe, & hominum, ſeu nimia ſim- » plicitate, ut, qui, phaleris orationis, bonum reſte loquendi uſum religio- » ſiuſcule contemnebant, ſeu Barbarorum injuria, qui cum Imperio Latii » ſermonis candorem confundere depugnarunt, concidiſſe videbatur. Quum » ad nos, tamquam alterius orbis homines, reſpexit Omnipotens, & tantam » miſeratus pius, & miſericors Dominus jaſturam, novum condere ſeculum, » Romanumque Imperium & litterarum ſplendore excitare, & in priſtinum » faſtigium, lumen, auſtoritatemque reponere ſtatuit. Primo in pulcherri- » mum totius orbis hominum, Divorumque domicilium, terrarum Principem » Romam e Galliis Pontifices devocavit. Inde præclara virorum ingenia, al- » tera Imperii Chriſtiani lumina, veterem quæ litterarum ſitum, ſquallo- » remque excuterent de ſummo Cæli cardine, quaſi paſſa in Italiam totam » manu, parvo temporum, regionumque intervallo, diſperſit, ut, non tam » non ſuperari nos ab antiquis cognoſceremus, quam quomodo poſteri no-

Digitized by Google

collocari. Quod ſi latinam calluit, calluit igitur & græcam: etſi enim concedendum fortaſſis Cardinali Hadriano (524) latinam linguam ſatis eſſe ex ſe divitem, neque arceſſitis aliunde novis, græcanicis, barbaris dictionibus, impropriiſque, & ambiguis vocabulis indigere, uti, vel ex

» bis poſſent æquari deſperarent. Alios ergo rei Latinæ, Latiæque ſuppelle- » ctili curandæ præfecit, ut Vallam, Tortellium, Domitium, Varrinum, Sy- » pontinum, & unum poſtremum Neſtorem Dionyſium, virum religione ſpe- » ctatum, quorum fuit in inquirendis & grammaticæ, & pudicæ elocutionis » præceptis, & interpretandis Poetarum abſtruſis ſenſibus diligentia tanta, » quanta ne major quidem ab ipſis rei Latinæ Auctoribus impenſa. Alios » concinnandis poematibus addixit, ut Philelphum, Boninum, Typherna- » tem, Carmelitam, & alterum poſtremum Platum Platinum virum gracili » in corpore ingenio ampliſſimum, quorum tantus ſplendor in carmine fuit, » ut ipſum incinuiſſe in Italiam Apollinem ſublimi de vertice Parnaſi, cre- » dendum ſi fabulis, videatur. Alios hiſtoriæ &c. » Ex hiſce autem jam liquet aperte, an eos demum audieris, qui, quod, Mantuani ætate, Latinum adhuc idioma, iis regionibus, obtineret, vix adduci animo poſſunt, ut multum laudis ex ejus linguæ peritia potuiſſe quemquam, iis temporibus, conſequi, exiſtiment, quos rurſus falſi revincant Muratori, Maffei, N. Ogeri, ac numquam ſatis laudandus Hieronymus Roſaſco (*Della lingua Toſcana* dial. I.), ne eos ad immenſum, at certe nonniſi ſcopo noſtro aptiſſimum cl. Du-Cange *Mediæ, & infimæ latinitatis gloſſarium* dimittam, cujus *Præfatione* §. LV. hoc inſuper cl. Auctor adducit reſtauratæ Latinæ linguæ monumentum ex Petri Bouherii Sabulenſis carmine in *Elucidarium* Conradi de Mure Canonici Thuricenſis a ſe repurgatum, & adornatum an. M. D. XIII.

At nunc auſpicibus Superis, Cæloque ſecundo,
  Induit antiquum Romula lingua jubar.
Sic poſt millenos ales reparabilis annos,
  Abjecto renovat omne decus ſenio.
Contulit huic operi Gazes Theodorus, & acer
  Vallenſis multum, tuque Philelphe ſimul.
Hinc Itali crevere viri, crevere juventus
  Gallica Pieriis deliciata ſacris.
Nec te Pice ſagax, nec te Beroalde ſilebo,
  Nec te cum muſis Politiane tuis.
Adde Marullum illis, & blandidicum Pontanum,
  Et Carmelitam Mantua dia tuum.
Qui ſimul Hermoleos non vero Barbarus ore
  Dicitur. Hi linguæ reſtituere decus.

Idipſum innuiſſe viſus eſt coævus Auctor M. Antonius Sabellicus, quum, *Dialogo de Latinæ linguæ reparatione* fol. m. 113. ſcriberet: « Baptiſtæ Mantua- » ni, viri Carmelitana Religione carmen nequeo ſatis admirari ob incredi- » biles virtutes. Scripſit ad hunc diem non pauca, & de vita Virginis; de » Oratoris, & Poetæ laudibus; de contemptu mortis. Quod ſi ex iis, quæ » ad nos delata ſunt, licet de hominis ingenio in univerſum judicare, quem » illi in hoc genere dicendi præferas, hodie habemus ferme neminem. »

(524) *Epiſtola de ſermone Latino*.

uno Cicerone conſtat, qui ipſis, quas Attico dedit, epiſtolis græca non æquo ſæpius immiſcet; etſi rurſus non inficiamur, quin notata latinis ipſis latinæ linguæ egeſtas, Terentii præſertim, Cæſaris, Tullii, Virgilii, Horatii, Quintiliani opera, plurimum fuerit imminuta; quum tamen nequiverit Mantuanus, ea, qua vixit, ætate, niſi indefeſſa, ac jugi Auctorum lectione, perfectam ſibi ejuſce linguæ notitiam comparare, eos autem percurrere nemo facile poſſit, qui non fuerit græcæ linguæ peritus, veluti ex uno Plinio, cujus lectione tantopere Auctor N. cl. oblectabatur, atque ex frequentiſſimis latinorum Poetarum helleniſmis oppido conſtat, jam illud tuto aſſumere me poſſe credam, Mantuanum, cui perfecta erat latinæ linguæ cognitio, & græcum pariter ſermonem apprime calluiſſe. Quamquam, ubi nec ita ratiocinari liceat, invicta alia non deſunt, quibus id aſſeramus, argumenta: præterquam enim nihil in operibus ejus clarius aſſulget, quam (525) fuiſſe illum in ea lingua ſatis verſatum, conſtans ea quoque Hiſtoricorum aſſertio eſt Trithemii ſcilicet, atque, ut ſileam cæteros, Murrhonis (526) Colmarienſis Canonici; quin & ejus in Græca

(525) Uti quum *De diverſitate Interpretum Sacræ Scripturæ*, epiſtola (tomo opp. IV. pag. 227.) ſcribit: « Venio ad pſalmi CIX. verſiculum, qui quoti» die eſt in ore canentium: *Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendori» bus ſanctorum ex utero ante Luciferum genui te*. In Græco idem legitur: μετὰ » σοῦ ἡ ἀρχὴ ἐν ἡμέρᾳ τῆς δυνάμεως σου, ἐν ταῖς λαμπρότησι τῶν ἁγίων σοῦ, ἐκ » γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε. & hæc exiſtimatur LXX. Interpretum » fuiſſe translatio. » Aut, quum adverſus calumniatores (tom. IV. pag. 66) Homerum iterum, atque iterum exſcribit, aut quum (tomo I. in *Apologetico*) Heſiodum allegat, atque Phocylidem, ut Epimenidem ſileam, ut Antimachum, ut Ariſtotelem, ac Græcos cæteros Philoſophos, Hiſtoricos, Patres, quorum fere neminem non alicubi appellat, illud præterea innuens, ſe eos, ſin omnes, plures ſaltem in Græcis ipſis exemplaribus perlegiſſe.

(526) In vivi etiamnum Poetæ N. futuros manes hoc Murrho luſit epitaphium Pariſiis, anno M. D. XIII. editum tom. I. operum Mantuani fol. VIII., atque inde ab Alegre de Caſanate, a Ventimiglia, a Villiers (*Biblioth. Carm.* tom. I. col. 219.), aliiſque relatum.

D. O. M.

CLAVDITVR. HOC. SAXO. VIR. NVLLI. LAVDE. SECVNDVS
MAXIMA. CARMELI. SPES. QVE. DECVS. QVE. SOLI

Græca lingua peritiam ea ad oculum oſtendunt, quæ in elegantis Bibliothecæ ſuæ pegmatis aſſervabat, eximia Græcæ eruditionis monumenta. Inerat ibi Joannis Andreæ Laſcaris viri inter Græcos doctiſſimi liber *Græcorum Epigrammatum*, quem Poeta N. dono ab ipſo Collectore acceperat (527): extabat illic pariter editum a N. Joanne Creſtono *Pſalterium Græco-latinum*, ex cujus nuncupatoria ad Ludovicum Donatum Epiſcopum Bergomenſem (528) nonnulla excerpſiſſe videtur Mantuanus, epiſtola *De diverſitate inter Sacræ Scripturæ Interpretes* (529): aderant ibidem alii rurſus Græci codices ab ipſo, tum alibi, tum vero potiſſimum *De loco Conceptionis Chriſti* (530) generatim ſaltem indicati.

Sed & Hebraicos fontes adivit, Hebraicaque conſuluit exemplaria Vir N. cl., reconditæque Hebræorum eruditioni, ea ſedulitate, applicuit animum, ut ſolitus eum reprehendere Paulus Jovius, quum eximias id genus cognitiones

 non

CONTVLIT. HVIC. LAVRVM. TRIPLICIS. FACVNDIA. LINGVAE
EXCVLTO. TANTVM. PRAESTITIT. INGENIO
QVICQVID. ENIM. LAVDIS. LATIVM. VEL. GRAECIA. DOCTA
QVICQVID. ET. HEBRAEVS. POSSIDET. HIC. MERVIT

Dicere hic omitto de ea, quam Auctor N. habuit Etruſcæ linguæ notitia: id enim, ſin aliunde conſtaret, evinceremus aperte ex hiſce ejus ad Refrigerium verbis (tom. II. in *Marianæ Parthenices nuncupatoria*) « Extant & poe» mata tua, quæ Tuſca lingua plurima compoſuiſti, tanto ornatu, tanta ve» nuſtate, tanta felicitate condita, ut & mihi, & omnibus, quibus uſui ſunt, » in miraculo habeantur. »

(527) Teſtatur id Mantuanus ipſe *Epiſtola contra Calumniatores* tom. IV. pag. 66.

(528) Refert illam cl. Antonius Saxius, ad calcem *Hiſtoriæ Typographico-Literariæ Mediolanenſis* p. CCCCLXXX., atque N. Villiers (*Biblioth. Carm.* tom. I. coll. 817. 818.), qui, uti & Michael Maittaire (*Annal. Typogr.* tom. I. pag. 146.) illud etiam animadvertunt, pſalterium, quod omnium primum Græce excuſum prodierit, hoc fuiſſe ab eruditiſſimo Carmelita verſione interlineari, ad literam, in ſtudioſorum commodum, illuſtratum.

(529) Tomo opp. IV. pag. 231.

(530) Tomo IV. pag. 201., ubi hæc, inter cætera: « Scriptura ſacra de» venit ad Græcos per ſeptuaginta Interpretes, per Theodotionem, & Aqui» lam, per Symmachum, & Origenem, & videamus, quid apud eos lega» tur pro *utero*. Quum, hujus rei gratia, percurrerem hos locos in libris » græcanicis . . . &c.

Digitized by Google

non in illo agnoſcere haud poſſet, inde etiam obtrectandi anſam arriperet: « Naturam ad carmen attulit, verum inſa- « tiabili Hebraicorum ſtudiorum cupiditate ita occupatam, » ut, quum magnus, & admirabilis in omnibus videri con- » tenderet, in excolendis muſis curam, ac diligentiam re- » mittere cogeretur. » At viro acerbiori dimiſſo, aliiſque rurſus de Hebraica Auctoris N. eruditione teſtibus locupletiſſimis Murrhone vix nuper citato, Graveſon (531), &c. indubia ſuppetunt ejuſce rei monumenta in ipſis illis, quæ ad nos uſque pervenere (532), Mantuani operibus, non, quod linguis ad oſtentationem ipſe uteretur, quemadmodum fieri a ſcriptorum bene multis Honoratus a S. Maria, Joſeph Bianchini, aliique rectiſſime adnotant; ſed, quod ita poſtularet dicendorum natura, idque nonniſi optimorum Auctorum, præſertim vero Poetarum (533) imitatione, quos penes

(531) *Hiſt. Eccl.* cit. ſec. XVI. colloquio V. Referas huc pariter Joannis Pici Mirandulani epiſtolam Auctori N. Florentiæ datam, die XX. Martii anno M.CCCC.XC. (Inter alias ejuſdem Pici epiſtolas pag. m. 359.) en ejus & inſcriptionem, & initium:
» Reverendo in Chriſto Patri, Fratri Baptiſtæ Mantuano, Ordinis Carme- » litarum Poetæ, Philoſopho, & Thelogo inſigni &c. Filius Joannes Mirand. » Salve, Pater dilectiſſime . . . . De diverſitate translationis noſtræ a » litera Hebraica in III. capite libri Geneſeos, ubi de Eva agitur, & ſerpen- » te, ſic equidem, cenſeo, eſt in Hebræo quemadmodum ſcribis: *Ipſum con-* » *teret caput tuum*. referturque ad ſemen Evæ, de quo dixerat: *Inimicitias* » *ponam inter ſemen tuum, & ſemen illius* . . . . . . &c. » Videſis & Bettinelli (Diſc. II. *ſopra la letteratura Mantovana* Nota H.).

(532) Plura olim ejus MMSS. apud Balæum aſſervata, notatum id Villiers *Biblioth. Carmel.* tom. I. col. 232. quamquam & alia multa Auctoris N. ſcripta intercidiſſe facile nimium mihi perſuadeo.

(533) Eam rem ſi neceſſe hic eſſet, allatis in medium exemplis, probare: omiſſo Ariſtophanis

Brekekekex, koax, koax,
(*In Ranis* actu I. ſcena V.)

Plautique illo:

Hanno Muthum balle beccha edre anech
Lalech labcanam limi inchot . . . .
(*In Pænulo* actu V. ſcena II. ℣. 35. 53.)

Annon clare id apparet in hiſce Hebraicis Damaſi; qui carmine *De cognomentis Salvatoris* cecinit:

Meſſias, Sebaoth, Rabbi, Sponſus, Mediator.

penes haud raro id genus exempla offendas. Jam vero magnum adeo ſibi pepererat, in philologicis, ac criticis hiſce rebus, nomen, ut, ſi forte excitabantur ejuſce indolis quæſtiones,

---

Item Prudentii, qui, *Enchiridio* v. 153. habet

Campus Acheldemach ſceleris mercede nefandi
Venditus . . . .

Annon rurſus aperte id liquet in Græcis iſtis Lucretii (*De natura rerum* lib. I. v. 827.)

Nunc Anaxagoræ ſcrutemur ὁμοιομερείαν.

Jovenalis (*Satyra* XI. v. 27.)

. . . . Cælo deſcendit γνῶθι σεαυτὸν.

Perſii (prologo ad *Satyras*)

Quis expedivit pſittaco ſuum χαῖρε

Martialis lib. II. epigram. XXXII., & lib. X. Auſonii item, aliorumque; quibus id paſſim factitatum, vel quia nullatenus, quæ exprimenda aliis eſſent,

. . . . Noſtra dicere lingua
Concedit nobis patrii ſermonis egeſtas.

ut dictum Lucretio lib. I. ℣. 829., vel quia, tametſi patrio efferri poſſint idiomate; illa tamen

. . . . Propria melius ſub voce notantur.

ut canit, lib. III. *Aſtronomiæ* ℣. 42. Manilius. Quibus denique omnibus tuto illud, evidenterque conficias, nonniſi merito, exoticas alterius linguæ dictiones, ac peregrina vocabula mutuari, quum id rerum dicendarum indoles expoſtulare videatur. Quod & factum, nec ſemel, a N. Mantuano, ut liquet, ſeu ex libro *Agelariorum* II. fol. 307., ſeu ex *Faſtorum* lib. I. fol. 245., ubi de Nomine *Jesu*, ſeu ex ſuperius allatis de voce *Paſcha* verſibus, aliiſque tum carminum ſuorum, tum & proſarum locis, veluti, quum ait *De varietate Interpretum Sacræ Scripturæ* (tom. IV. pag. 229.) « . . . . Dum hæc » mecum meditor ſupervenit, qui diceret in *pſalmo* LXXXIV. pro eo, quod » nos dicimus: *Et in eos, qui convertuntur ad cor.* melius dici a Græcis Καὶ » ἐπὶ τοὺς ἐπιστρέφοντας καρδίαν ἐπ' αὐτόν. Quod eſt: *Et in convertentes cor* » *ad eum*. Mox ad codicem Hebraicum me converti, reperique ſcriptum: „ ואל־ ישובו לכסלה *veal jaſubu lechiſla* quod iterpretatur: *Et non con-* » *vertentur ad ſtultitiam* arripuique mox Hieronymi translationem ad Chroma- » tium, quam textui Hebraico reperi conformem (V. Hier. opp. tom. VIII. » Baſil. in fol. M.D.LXV.), & ecce, dum cogito unde vecordes hi cor illud

ſtiones, ad Auctorem N. ſæpe deferrentur dirimendæ. Unicum adducimus ex Mantuano ipſo argumentum (534). » Quidam . . . . . . dum nuper concionaretur . . . . . . » exclamabat, pſalmos non eſſe fideliter translatos, & proferens ex pſalmo VI. illum verſiculum: *Anima mea turbata eſt valde, ſed tu, Domine, uſquequo*: aſſeverabat » debuiſſe transferri *aliquantulum* . . . . . . Movit hæc in- » ſolens

» traxiſſent, quod non ſit in Hieronymo, neque in Hebræo, verti oculos ad כ, quod ponitur poſt ל in principio dictionis כסלה *chisla*, & manifeſte » deprehendi translatores ב pro כ poſuiſſe, & litterarum affinitate deceptos » ex ל, & כ in ב converſa feciſſe לב, quod *cor* ſignificat &c. » *V. Buxtorf.*

Ex quibus, aliiſque multis, quæ adduci huc poſſent, cl. N. Philologi teſtimoniis aperte id etiam efficias, haud utique mentitum Auctorem N. quum hæc ad Ptolemæum fratrem ſcriberet: (Ptolemæo ipſo teſte, in ſua pro eodem Mantuano *Apologia* operum Mantuani tom. IV. pag. 130.) « Scis me, » ut inquit Vitruvius, etſi non ſum Ariſtarchus, non eſſe *ἀγράμματον*: etſi » non ſum Timotheus, non eſſe *ἄμουσον*: etſi non ſum Eſra, litterarum Hebraicarum non eſſe expertem. » Ubi rurſus, ut patet, Græco libenter utitur laconiſmo. Id ſcilicet laudis Græcæ linguæ tribuendum, brevitati illam conſulere, ac rurſus orationis gravitati, ut ipſo erudimur Ciceronis exemplo, quamvis non id moris ultra debitos limites provehendum, velut ſcite animadverſum Cardinali Hadriano. Sic perſpicuum eſt Auctorem N., ut aliquam orationi majeſtatem conciliaret, ad eam linguam tum aliis operum ſuorum locis, tum libro *Marianæ Parthenices* I. data opera, confugiſſe, ubi Theologicas, ut vocant, tres virtutes, ac quatuor cardinales ſic græce appellat.

Tres una comites habitant Eros, Elpora, Piſtis . . . . .
Parthenices iſtæ venturæ ad limina Nymphæ
Quatuor egregias ſecum duxere ſorores
Pulchram Metrioten, Phrenandreamque potentem,
Viribus, atque lites componere doctam
Voce Dicaſpoliam, memorique futura videntem
Mente Prometheam ſummo genus æthere miſſum.
Alta panomphæi ſubeuntes tecta Tonantis
Ad Mariæ thalamos famulam miſere Siopen . . . . . . :

Hic vero ſi quem commoveat dactylus *Elpora* græce ἐλπωρὴ id primum animo repetat, quod, omnium ore, tritiſſimum eſt Grammaticorum effatum: Græca per Auſoniæ fines ſine lege vagantur. Tum, ut reliqua mittam, quæ habet (*Inſt. linguæ Græcæ* lib. III. cap. XXVI.) Jacobus Gretſerus, ea meminerit, quæ admonuimus Nota 405.

(534) Tomo IV. *Contra Calumniatores* pagg. 64. 65. Vereor hinc ne, hoc loci, haud ſatis in iis, de quibus ſcribebat, verſatum ſe prodat cl. Tiraboſchi, dum hæc de Mantuano ait (cit. olim *Storia della Letteratura Italiana* tomo VI. parte II. lib. III. §. XX. pag. 230.): « Io non trovo però, che » del profitto da lui fatto nello ſtudio di queſta lingua (Ebraica) ci abbia » egli laſciato alcun ſaggio. »

» ſolens calumnia multos viros & litteratos, & religioſos;
» qui quotidie verſum illum inter pſalmos pœnitentiales ſic
» legebant. Et, quum me conſulerent, confeſtim miſi ma-
» num ad exemplaria Græca, atque Hebraica, quæ in mea
» Bibliothecula habebam recondita, invenique in Græco
» codice ſcriptum: ἕως πότε, in Hebræo עד-כתי *Nhad Ma-*
» *thai*, quæ dictiones, ubicumque reperiuntur in ſacris lit-
» teris, ſemper ab idoneis *uſquequo* interpretantur . . . . .
» Mirabar hominem hujus profeſſionis tam pertinaciter aſſe-
» rere, quæ neſciebat:

» *At pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier hic eſt.*
Aul. Perſius *Sat.* I. ℣. 28.

Memoravit hic *Bibliothecula*m ſuam: at enim illud ex dictis ſuſpicari me poſſe puto, eam nec copia librorum, nec eorum delectu, parvam dici debuiſſe; etſi nec inficior potuiſſe facile Auctorem N., qui multos clariſſimos (535), eruditiſſimoſque viros (ſeu pene incredibili, quam in eo olim

(535) In his præter Picos, Politianum, Hermolaum Barbarum, præter Corteſium, Bembum, Pomponium Lætum, Pontanum, præter alios alibi citatos magni nominis, magnæ auctoritatis viros, cenſendi omnino

Hercules Stroza, cui, ſequenti epigrammate a Nicolao Reuſnero (in *Iconibus*), & Freytag (*Analectis Litterariis* pag. m. 915.) relato, parentavit:

Strozius Heracles Venerem dum quærit, adulter
Illius obſcuras Mars erat ante fores.
Mars juvenem claudum Veneris ratus eſſe Maritum,
Deprendi in furto dum timet, arma capit.
Confoſſum juvenem ferro cognovit, & inquit:
Contentus Nymphis debuit eſſe novem.

quæ ut rite omnia intelligas, confer ſcriptum a Jovio Strozæ elogium:

Andreas Mantina Pictor celeberrimus, cujus laus eſt apud N. Orlandi (*L' Abecedario Pittorico* pag. 56. edit. Neap. in 4. M.DCC.XXXIII.) &, de quo ita, *in Sylvis*, carmine ei inſcripto Poeta N.

. . . . Suos extollere ludos
Græcia jam ceſſet, certamina ponat olympus;
Poſteritas jam vincit avos, melioribus aſtris
Utimur, optati labuntur ab æthere fluxus.
Quid Gnidiæ Veneris, quid te ſuſpendit Apellis
Gratia? Protogenis tabulas, & Zeuſidis uvas,
Parrhaſii quid cernis aves? Quid ſigna Myronis;

Digitized by Google

olim jam, demirati ſumus, ergà omnès comitate, ſeu aſſiduo alios demerendi ſtudio, ſeu multis paſſim editis eximii plane inge-

---

Lyſippique vides? Quid te ſpirantia tardant
Marmora Praxitelis, ſtatuæque Euphranoris? Omne
Phidiacum ſuperatur opus: Polycletica virtus
Sordet, & Andreæ perdit collata decorem.
Tu decus Italiæ, noſtri tu gloria ſecli . . . .
Ergo ſuum recte voluit te Mantua civem,
Largaque magnanimus ſtatuit tibi præmia Princeps.

Joannes Sabadinus Argenteus, ſeu degli Arienti, de quo plura N. Orlandi (*Notizie degli Scrittori Bologneſi* pag. 171.), cuique in morte Caroli filii, paramythiam *Sylvarum* libris inſertam Poeta N, eo fere percitus œſtro, quo, ætate noſtra, Eduardus Young, cecinit, quam ſic auſpicatur:

Quæ vos innocui verſat fortuna parentes?
  Triſtia cur tantis fletibus ora madent? . . . . . .
Terra domus non eſt animis accommoda noſtris.
  Altius it noſtræ conditionis honor.
Qui nimium terras amat, & mortalia tecta,
  Fallitur, eſt alio patria noſtra loco.
Hic ſumus extorres, alienaque regna tenemus,
  Sub gravis exilii, ſervitiique jugo.
Nunc animus curis coquitur, nunc corpora morbo,
  Et ſtimulos affert quælibet hora novos.
Nunc fratrum ſubeunt obitus, nunc fata nepotum;
  Tempus in obſequiis triſtibus omne fluit.
Crebrius auditur per templa, per atria planctus,
  Quam faciles inter vox hymenæa choros.
Et modo noſtra vocant, modo nos aliena ſepulcra.
  Funera ſunt noſtri continuata dies.
O felix, quem res non implicuere caducæ,
  Quem nullus retinet poſteritatis amor,
Quem nec cura domus, nec deficientis in horas
  Corporis, aut vitæ prætereuntis agit!
Poſtquam divitiis fuerint, & honore potiti,
  Mors hominum triplici corpora fauce vorat.
Felices fruſtra nobis promittimus annos:
  Semper enim curæ, triſtitiæque premunt.
Fluctus ut inſequitur fluctum, ſic tempora volvit
  Noſtra catenatis ſors inimica malis.
Mittimur Ætherios, per limina mortis, in axes;
  Hæc patet in noſtros janua ſola lares.
Eſt illic natale ſolum, noſtrique penates,
  Regnat ubi in decimo Maximus orbe Pater.
Nos Deus ex alto, nos magni gloria mundi,
  Omnia nos pronis vultibus aſtra vocant.
Quum nitet, & pictæ noctis fulgoribus ardet,
  Oſtendit noſtras pulcher olympus opes.
Noſter enim polus eſt, ſunt ſidera noſtra, ſereno
  Civibus arridet Lucifer orbe ſuis.
Eſt requies illic, illic æterna voluptas,
  Perpetuus ſplendor, gaudia, riſus, amor . . . . . .

ingenii fœtibus, omni, verbo dicam, officiorum genere) ſibi amicitia conjunxerat, & mutuo acceptis aliorum li-

Z bris

Emilius Romanus, pro cujus ſoſpitate votum Apollini dixit, quod rurſus in *Sylvis* reperias, quodque his abſolvit diſtichis:

Quale, Gigantæos poſt aſpera bella tumultus,
 Te memorant carmen concinuiſſe Jovi,
Tale tibi referet, quum te præſtaſſe ſalutem
 Senſerit, & medicas applicuiſſe manus.
Et cecidiſſe tuis veterem Pythona ſagittis
 Dicet, & auxilio Pergama facta tuo.
Quod te, quod triviam pulcherrima Thea ſororem
 Progenuit: ſedes cur tibi quarta datur.
Curve tuo mitem curru premis Ἀφρογένειαν,
 Curve ſub ardenti ſidere Martis eas.
Cur Veneris claudo, cur Martia furta marito
 Detegis, occultum nec ſinis eſſe ſcelus.
Quid ſibi vult Phœbus, quid Sol, quid nomen Apollo;
 Et cur te Rhodii Lemnion eſſe dicunt.
Cur tibi det Titan, & cur cognomina Delos,
 Nomina cur Cynthus, cur tibi Thymbra facit.
Cur Lycius, cur Grynæus, cur Sminthius eſſe
 Diceris, & Clarius, Chryſocomuſque Deus.
Cur Mirhinus, cur Cyrræus, Pæanque vocaris,
 Unde tibi Argenetes nomen, & Ortygius.
Argolico ritu quare Ἀργυρότοξος, Ἀγυιεύς,
 Ac Nomius, quare dictus Ἀλεξίκακος.
Ἥλιον adjunget cur te Mileſia pubes,
 Cur Grajo veteres ore φανῆτα vocant.
Quid ſibi tela volunt, quid laurea ſerta, quid arcus;
 Quid lyra, quid crines, quid juvenile decus.
His, aliiſque tuas mulcebit verſibus aures,
 Et tua, Pimplæo carmine, dona canet.
Phœbe Pater Vatum, communibus annue votis,
 Proque tuo fuſas accipe Vate preces.

Explanabit horum plura Macrobius, atque *Evangelica* eruditiſſimi Huetii *Demonſtratio*; verum omnium accuratiſſime cl. Antonius Banier.

Benedictus Morandi primus Bononienſis Senatus Secretarius, Scriptorque & verſu, & proſa, uti ex Orlandi (*Notizie degli Scrittori Bologneſi* pag. 72.) conſtat, nitidiſſimus, de quo, carmine ei etiam inſcripto (in *Sylvis*) hæc, inter alia, idem Mantuanus:

Tu puer ingenuas, non, ut plebeja juventus
Conſuevit, longis doctrinæ anfractibus, artes,
At celeri brevitate capis, facundia venit
Obvia, & occurrit nondum quæſita poeſis
Sponte ſua. Tam prona Deus tibi ſidera fecit.
Non fuit in Grajis tibi res abſcondita chartis,
Non fuit in noſtris. Phœbi tibi tota ſupellex
Cognita, & arcanæ penetralia magna Minervæ;

bris (536) in rem ſuam uti, diebus illis potiſſimum, quibus ob recens inventa, aut ſaltem invecta Typographicæ artis

Jam ſubito ingenium ſtudiis adolevit, ut eſſet
Inveniſſe magis, quam te didiciſſe putandum.
Tu ſapis, ut cuſtos ovium Parnaſidos Aſcræ
Incola, quem ſubito Muſæ inſtituere Poetam.
At poſtquam frontis gravitas, atque aſpera mento
Barba virum confeſſa fuit, non improba nummi
Eſuries, non ſegnities, non gaudia ventris,
Non obſcæna Venus, non res flexere caducæ.
Publica res animum ſubiit, curare ſalutem,
Et commune bonum patriæ, velut ante ſolebant
Fabriciique, Fabiique ſenes, mente incipis alta.
Et claros imitans proavos, veſtigia numquam
Fers obliqua. Tuæ pietas Cynoſura carinæ
Sola fuit: regis hoc omnes duce ſidere curſus.
Te tua ſancta fides, rebuſque probata gerendis
Provida ſedulitas, & majeſtate ſerenum
Os placida, nec non florentis copia linguæ
Ad varias legatum urbes miſere per orbem ....

Joannes Petrus Arivabenus Urbinatenſis Epiſcopus, cui quum aliquando Maſſici vini xeniolum obtuliſſet, propempticum ſimul carmen adjunxit, quod extat *Sylvarum* libris, hocque abſolvitur verſu

Et Phœbi, & Bromii munera juncta cape.

Sed & Thomam Wolfium, de quo alibi dictum, & Albertum de Ratizamhuſen habuit peculiaris neceſſitudinis vinculo arctiſſime conjunctos, quibus omnibus Mantuanus amicitiæ & officia, & jura numquam oblitus, omni cura, ac ſtudio adhærebat, ſeu, ut ex eorum conſuetudine proficeret, ſeu, ne deeſſent, quibuſcum præclare a ſe adinventa communicaret: ſæpe enim, quicquid Perſius (*Sat.* I.) inclamet.

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.

ſeu denique, ut eorum auctoritate, ac munificentia & in ſui uteretur, & in amicorum, atque Ordinis gloriam, commodum, utilitatem, quod alibi oſtenſum, quodve, officiorum quodam quaſi fœnore, mutua amicorum commercia obſtringit, fovet, commendat.

(536) Hæc ut paucis ediſſeram: colligi initio id poterit ex Litteratorum omnis ævi conſuetudine, tum inde ſpeciatim ex Mantuani ipſius carmine *ad Jacobum Carphorum Machiavellum* (lib. *Sylvarum* III. fol. 294.), quod ſic exorditur:

Accipe, quem nobis dederas, Jacobe, libellum.

Conſtat id rurſum ex Joannis Pici ad Auctorem N. epiſtola (operum ejuſdem Pici pag. m. 375.) data Florentiæ XIII Januarii M.CCCC.XC., ubi ſic ille: » Salve Pater dilectiſſime. En tibi Apollonium, quem ſi tuæ virtuti, tuis in

artis commoda, quæ ipſi deerant, Auctorum ſcripta poterat hæc facile apud amicos reperire.

Cæterum & penes ſe plura habuiſſe, eaque pretioſa volumina, id vero & ex nuperrime dictis, ac etiam ex ipſo Scriptoris N. genio, quove plurimum commendabatur, rerum delectu facile patet, nec non ex aliis aliquot ipſius operum locis: Habeo, inquit *De diverſitate Interpretum Sacræ Scripturæ* (537): « Habeo ego librum Hebraicum pſalmo-» rum manu exaratum, habeo & impreſſum. » *Apologia* autem *pro Carmelitis* (538): « Habeo apud me decretum » Godfredi, qui, capta Hieroſolyma, de Syria triumpha-» vit, ſuper quadam pietate, quam omni Sabbatho jubebat » exhiberi Fratribus noſtris, qui tunc incolebant montana » Judææ . . . . Attulit autem decretum hoc ex Cy-» pro, cum quatuor Bullis Romanorum Pontificum in Fra-» trum noſtrorum favorem ad Patriarchas Hieroſolymitanos » olim miſſis, Frater Jordanus Mantuanus Ordinis noſtri. » Quam etiam ob rem audit Scriptor N. clariſſimus apud Eliſeum Monſignani (539), ceu, qui veterum pro Ordine monumentorum collectionem quamdam, ac Bullarium primus omnium præformarit, quamvis nec diploma Goffredi, nec Pontificum Bullæ amplius ſuperſunt, illa excepta, quam

 Alexan-

» me officiis non deberem, deberem certe vel his litteris, quibus eum efflagitas. » Tantus in illis amor, tanta humanitas. » Innuit hoc ipſum ejuſdem ad eumdem Mantuanum epiſtola alia (pag. 369); « Philoſtratum de Apollonii vita, » ſi ſatis illo es uſus, deſidero, & Zachariæ Philoſophi, quem te nactum » Romæ dixiſti, exemplar cura, ut habeam, prætereaque indicem Bibliothe-» cæ veſtræ Bononienſis, ſi tuo id commodo fieri poteſt. »

(537) Tom. IV. pag. 229. Sed & Thalmudem, alioſque Rabbinorum libros, atque Hebraicos Teſtamenti codices, originali textu, verſaſſe eum conficias tum ex aliis paſſim locis, tum ex lib. I. *De patientia* cap. XV. lib. II., cap. V. lib. III., capp. XXVI. XXIX. XXXIV.

(538) Ejuſdem tomi IV. pag. 240.

(539) *Præf. ad Bullar. Carm.* Hinc forte, Mantuano potiſſimum Auctore, ea collecta fuerat MMSS. copia, quam Mantuæ olim apud Carmelitas adſervatam ſcribit Salmon vol. XIX. cap. VII. pag. 269. edit. Ven. in 8. M. DCC. LI. Utcumquè fuerit vereor, ut, quæ de præformato ab Auctore Ordinis Bullario ſcribit Monſignani, ea pauliſper nutent, quum inter MS. Siberti de Beka viri apud nos graviſſimi, qui, pluribus ante Mantuanum annis, floruit, *Ordinis* quoque *Bullarium* memoret (*Bibl.* tom. II. litt. S.) Villiers. Itaque non fuerit Mantuanus, qui primus id operis molitus ſit, num laudanda minus ejus induſtria, atque ſedulitas?

Digitized by Google

Alexander IV. die VIII. Martii M. CC. LXI. conceſſit, quamque ex autographo, vel pervetuſto ſaltem exemplari, in Mantuani Carmeli archæo, exſcripſit, ediditque Monſignani (540) laudatus. Interim Auctor N. & ſuis utens, & acceptis mutuo aliorum voluminibus, eam ſibi comparavit omnigenæ eruditionis copiam, quæ nullo ejus operum loco non manifeſto ſe prodit, quaque adeo mirum non eſt ſi a cujuſque generis Scriptoribus, a Mirabellio (541), a Julio Sirenio (542), a Philippo Picinelli (543), a Jodoco Clictoveo (544), a Benedicto Hæfteno (545), a Carolo Joſepho Morozzo (546), a Ludovico Balleſter (547), a Laminio Lupo (548), ab Ulyſſe Aldrovando (549), a Joanne Launoy (550), a Tilgner (551), aliiſque ſeu alibi citatis,

(540) *Bullar. Carmel.* tom. I. pag. 22.
(541) In *Polyanthea* articulis *adverſitas*, *adulatio*, *clementia*, *fortuna*, *mors*, *munera*, *otium*, *ſuperbia* . . . . . *&c.*
(542) *De fato* lib. V. cap. XVII.
(543) *Mondo ſimbolico* lib. I. cap. XII. N. 339., lib. V. cap. XXIII. N. 307. &c.
(544) *Sermone* penultimo pag. m. 673.
(545) *Diſquiſitionibus Monaſticis*, necnon *Scholæ cordis* lib. II. lect. XVI.
(546) *Theatro Theologico Sacri Carthuſienſis Ordinis* parte I. §. 21.
(547) *Onomatographiæ* parte II. dictione *Joannes* N. 5. pag. m. 500.
(548) *Divinæ Matris centum elogia*, elogio XV.
(549) *Ornithologiæ* lib. I., & II., & X., & XII. &c. *Dendrologiæ* lib. I. &c. *Muſæi Metallici* lib. I. &c. *De Quadrupedibus* lib. II. &c. *De Inſectis* &c.
(550) *Diſſert.* III. adverſus privil. Sabb. cap. II. quamquam videndus eam in rem Villiers *Bibl. Carm.* tom. I. col. 55.
(551) Adnotatis ad Menkenium *De Charlataneria Eruditorum* pag. m. 189. VI. citans Auctoris N. eclogam.

Eorum, qui ad Mantuanum appellant, agmen nunc claudant cl. Joannes Thuil (*ad CLXXIX.* Andreæ Alciati *Emblema* pag. m. 746.), atque Franciſcus Maria Bonada, qui (*Anthologiæ* vol. II. claſſi VII. §. LX. pag. 264.) poſt relatum epigramma, quod Julio Cæſari vulgo adſcribi ægro fert animo (*Diſſertazione ſull' Antologia* cap. V. §. XVIII.) cl. Ricolvi, nimirum:

Thrax puer, adſtricto glacie dum luderet Hebro,
Pondere concretas frigore rupit aquas,
Dumque imæ partes rapido traherentur ab amne,
Abſcidit tenerum lubrica teſta caput,
Orba quod inventum mater dum conderet urna:
Hoc peperi flammis, cetera, dixit, aquis.

Bonada, inquam, poſt hoc relatum epigramma ſubdit: « Hæc mater minus » infelix, quam ille pater, cujus eſt epigramma Baptiſtæ Spagnoli.

» Fert lupus infantem prenſa cervice: pater ſe
» Proripiens nati pendula crura tenet:

tatis, ſeu, qui citandi ſuperſunt, clariſſimis viris identidem commendetur (552), quibus omnino addendus Joannes Balæus,

---

» Dum rapit inde fames, pietaſque ardentior iſtinc,
» Heu! tulit hæc truncum corpus, at illa caput.

Laudant, ſi id denique adjiciendum eſt, Poetam N. Italicis epigrammatis ſuis, N. Pagnini (*Poeſie Buccoliche* pag. 21), Vettor Vettori &c. &c.

(552) Ipſe interim non aliunde melius quantæ Mantuanus eſſet eruditionis confecerim, quam ex mira prorſus facilitate, qua ab adverſariorum objectionibus ſe, ſcriptaque ſua, extempore, tueri, ac vindicare ſolebat. Ejuſce rei innumera ſuppetunt, præſertim apud fratrem ejus Ptolemæum argumenta, quorum ut hic pauca recenſeam. Vitio illi datum I. Quod *Virgilium* non *Vergilium*, ut omnino dici oportere, tum aliunde, tum ex veteri quodam lapide Politianus autumabat, ſcripſiſſet. II. Quod dixiſſet *Polenta* neutro plurali (V. *Ecloga* VI. v. 5.). III. Quod *ante diem* pro *ante lucem* (V. *Parthenices* I. lib. I. v. 484.). IV. Quod fortunam *Rhamnuſiam* vocarit, quum Nemeſis potius a Rhamnunte oppido ſic appelletur (V. *Trophæi Gonzagæ* lib. II. v. 710.). V. Quod *Cælos* pro *Cælum* contra ſenſum Grammaticis communem. Gellio teſte *Noctium Att.* lib. XIX. cap. VIII., ut alia omittam id generis plura. Iis autem ut faceret ſatis Poeta N. hæc inter alia (non enim hic cuncta exſcripſerim) repoſuit. Ad I. & lithotomis errores aliquando excidere, interim a Græcis non per *e*, ſed per *i* efferri. « Dum Romæ ſub Sixto IV. agerem
» (inquit *Contra Calumniatores* pag. 65. 66.) Pomponius Lætus mihi familia-
» riſſimus oſtendit tabulam marmoream perquamvetuſtiſſimam in Circo Fla-
» minio, in qua quoſdam errores deprehendiſſe ſe monſtrabat: in ea enim
» pro *Venox Venocens*, & *Publius* pro *Publio*, & *Politicus* pro *Petico* mendoſe
» ſcriptum erat. Hoc idem refert Hermolaus in *Plinianis correctionibus* lib. VI.,
» & XIII. . . . . Cicero in *Epiſtolis ad Atticum* dicit, ſe vidiſſe in Ca-
» pitolio ſtatuam Scipionis Africani, cum ſubſcriptione Serapionis, & dicit,
» ſe putaſſe id erratum fabrile . . . . Utcumque res eat, ſcio illud
» nomen per *i* a Græcis ſcribi: nuper namque, quum Stephanum *De Urbi-*
» *bus* legerem, vidi in dictione *Mantua* Virgilium per *i*, non per *e* ſcriptum.
» Memini etiam me legiſſe in Epigrammatum Græcorum libro. quem Joan-
» nes Laſcaris vir linguarum eruditione clariſſimus, dono mihi dedit, nomen
» id Græce non per *e*, ſed per *i* ſcriptum: nam Chriſtodorus Poeta Theba-
» nus deſcribens imagines virorum illuſtrium poſitas in quodam publico gy-
» mnaſio, inter quas erat & imago Virgilii, ſic fere inquit: ego enim Epi-
» gramma illud ita tranſtuli:

» Carus & Auſoniis liquido decuiſſet olorem
» Spirans ore melos Virgilius, extulit olim
» Hunc ſermo faciens alium Tiberinus Homerum.

» Sed ut nos quoque in judicium lapides adducamus, addi poteſt teſtimonium
» elogii, quod in baſi ſtatuæ Claudiani Romæ nuper repertæ litteris Græcis
» ſcriptum eſt ſic:

» εἰν ἑνὶ Βεργιλίοιο νοόν, καὶ μοῦσαν Ὁμήρου . . . &c.

qui autem hic a Mantuano laudatur Græcus Stephani locus ΠΕΡΙΠΟΛΕΩΝ ſic habet: Μάντυα πόλις Ῥωμαίων . . . . ἐξ αὐτῆς δὲ Βεργίλιος ὁ ποιητής.

læus, vir tamen impietate magis, quam doctrina celebris; qui

Græca Chriſtodori verba, quæ cum Mantuani verſione compares, hic ex *Anthologia Græca* lib. V. Epigram. LXXIV. conſulto apponimus.

Εἰς Βιργίλλιον

Καὶ φίλος Αὐσονίοισι λιγύθροος ἔπρεπε κύκνος
Πνείων εὐεπίης Βιργίλλιος, ὅν ποτε Ῥώμης
Θυμβριὰς ἄλλον Ὅμηρον ἀνέτρεφε πάτριος ἠχώ

Obſcurior forſan videatur Latina Mantuani verſio, at id Græco, quem traduxit, Auctori imputandum; ubi enim fuiſſet hic nitidior, & clarius eum reddidiſſet Mantuanus, cui ex Græco in Latinum vertere facillimum erat. Mitto, quæ & eleganter, & nitide, etſi non prorſus ad litteram, vertit Homeri, aliorumque Poetarum loca: ſic, quod ait Homerus:

Δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει
Δώρων, οἷα δίδωσι κακῶν, ἕτερος δὲ ἑάων.
Iliad. Ω. v. 527. 528.

Ita exhibet Mantuanus:

Juppiter ante ſuum ſtatuit duo dolia limen;
Lævum felle viret, dextrum capit aurea mella.
Super morte Collæ tom. I. fol. 128.

at hæc, inquam aliaque his affinia mitto. Unum Heſiodi verſum in hujuſce rei argumentum affero. Ait is (Ἔργα, καὶ Ἡμέραι v. 101.)

Πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα.

Ea autem ſic vertit (*De patientia* lib. II. cap. XXXI.) Auctor N.

Plena malis tellus, plenæ ſunt æquoris undæ.

Quamquam ſatis illud animadverto rem me oſtendere aggreſſum, quam nemo non emotæ mentis homo in optimo Poeta, Græceque peritiſſimo inficiari auſit. Epigraphen Claudianeam quod attinet, refert illam (pag. CCCXCI. N. 5.) Janus Gruterus.

ΕΙΝ ΕΝΙ ΒΙΡΓΙΛΙΟΙΟ ΝΟΟΝ
ΚΑΙ ΜΟΥΣΑΝ ΟΜΗΡΟΥ
ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΝ † ΡΩΜΗ ΚΑΙ † Ω
ΒΑΣΙΛΗΣ ΕΘΕΣΑΝ.

Virgilii mentem ſimul, & Phæbeum pectus Homeri,
Claudianum Domini, Romaque rite locant.

In Diario Veneto tom. XXII. pag. 400. hic lapis tamquam ſpurius, Pomponiique Læti fœtus exploditur: at enim Mazochius, Smetius, Caſtalio, Ur-

Digitized by Google

quì, quo loci operum a ſe conſcriptorum ſeriem enarrat;

de

ſinus, qui lapidem & viderunt, & exſcripſerunt, de ejus antiquitate dubitari non ſinunt, inquit eruditiſſimus Franciſcus Maria Bonada (*Antholog.æ* vol. I. claſſe V. §. XLIX. pag. 421.). Puto hinc non ex Mantuani mente ſcriptum nomen illud per *e* lib. I. *De patientia* cap. XVII. in Antuerp. Cuperi editione. Sane Brixienſis M. CCCC. XCVII. exhibet, eo loci, nomen illud per *i*. Interim Politiani lapidem, aliaque aliquot in eam rem monumenta, ſcilicet pro *Vergilio* ſcribendo profert Joſeph Caſtalio apud N. Gaudentium Robertum (*Miſcellaneis Italicis* vol. I. pag. 120.)

II. Quod attinet, quum audiſſet, inquit, ejus *Apologia* (pag. 97.), Ptolemæus: « Quum audiſſet ſibi vitio dari, quod neutro genere *Polenta* dixiſſer, » paulum ſubriſit, &, ut eſt facetus, in me converſus ait: Hui me miſe- » rum, Ptolemæe, vocor in judicium de Polenta, quam non edi, & conti- » nuo attulit verſus illos ex V. libro *Metamorphoſeos* Naſonis:

» Prodit anus, Divamque videt, lympbamque roganti
» Dulce dedit, teſta quod coxerat ante Polenta.

» & paulo infra:

» Offenſa eſt, neque adhuc epota parte loquentem
» Cum liquido mixta profudit Diva Polenta.

Quamquam Fabio Maretti eſt utrobique *Polenta* fœminei generis ablativus; quod & ipſe opinor. (V. *Corpus omnium veterum Poetarum Latinorum cum Italica eorumdem verſione* tom. XXVI. pagg. 390. 391. edit. Mediol. M. DCC. XLIX.): eſt tamen is Ovidii locus adeo obſcurus, ut & Calepinus, & alii neutro genere inibi *Polenta* dici arbitraverint, quorum opinione diſcedit, poſt Raphaelem Regium, ac Deſpauterium, Joannes Paſſeratius (Dictionario octilingui. V. *Polenta* parte II. pag. m. 382.).

De III. quum Auctorem N Ptolemæus idem commonuiſſet, remque indicaſſet: vide, reſpondit, (penes eumdem Ptolemæum, cit. *Apolog.* pag. 105.): » Vide homines turdis perſimiles, qui viſcum, quo capiantur, paſſim excer- » nunt, & miſſa manu ad codicem Horatianum, paucis philyris evolutis, » invenit *Epiſtolam ad Lollium*, ubi ſic legitur:

» Si nolis ſanus, curres hydropicus, & ni
» Poſces ante diem librum, cum lumine &c. Lib. I. Ep. II.

IV. sic excipiebat (apud Ptolemæum, ibidem pag. 131.) « Fortuna, & » Nemeſis diverſa quidem ſunt nomina, ſed res eſt una: quod deprehendi ex » Antimachi Poetæ Græci verſibus, quos in XIII. *Geographiæ* libro, recita- » vit Strabo; ſunt autem hi:

» Eſt Dea, quam dicunt Nemeſim, Dea magna, potenſque,
» Quæ bona Cæleſtum conceſſu cuncta Deorum
» Poſſidet. Huic primum ſacratam condidit aram
» Fluminis Æſepi gelidas Adraſtus ad undas.

» Videſne, inquit, ut dicat Nemeſim Deorum conceſſione poſſidere cuncta » bona? Hoc idem dicitur de Fortuna. » Tum ſubjiciuntur a Ptolemæo Pom-

Digitized by Google

de ſe teſtatur (553) ſcripſiſſe perinde in *præfationem Faſtorum Mantuani*, in cujus etiam carmen *De morte* quædam eum lucubraſſe tradit (554) Villiers.

---

ponii Læti, ac rurſus a Mantuano Pauſaniæ, atque Ammiani Marcellini, necnon Ciceronis, Pacuviique auctoritates.

V. non morabatur: « Nam, quum habeamus, inquiebat (penes eumdem » Ptolemæum cit. loco pag. 139.), omnes fere codices ſacros ex peregrinis » linguis translatos in Latinam, ut fideliter transferrentur, oportuit latini- » tatis limites tranſilire in multis, & præſertim in hac dictione *Cælum*: nam, » quum in aliis linguis pluraliter declinetur, oportuit & apud nos pluraliter » poni: quomodo enim transferretur illud in *Pſalmis* (pſal. CXLVIII. ℣. 4.): » *Laudate eum cæli cælorum*, quod Hebraice dicitur: : הללו הו שמי השמים » & Græce: *Αἰνεῖτε αὐτὸν οἱ οὐρανοὶ τῶν οὐρανῶν*. niſi daremus ei dictioni nu- » merum pluralem? Et ideo factum eſſe dixit (loquitur videlicet, narrat- » que hæc Ptolemæus), propter auctoritatem, majeſtatemque non Doctorum » ſacrorum tantum, ſed etiam ipſius Scripturæ Divinæ, quam immutare fas » non eſt. ut ſic nomen id declinandi conſuetudo jamdiu recepta ſit paſſim » ab omnibus etiam doctiſſimis, atque graviſſimis. Nec allegandos eſſe Gram- » maticos, quum ipſimet confiteantur linguam Latinam ſequi magis *ἀνωμαλίαν*, » quam *ἀναλογίαν*, & uſu, ac conſuetudine gubernari. Quod maxime pro- » batur ex dictione *fames*, cujus genitivus, referente ipſo A. Gellio lib. *No-* » *ctium* IX. fuit aliquando *fames*, paulo mox *famii*, deinde *famei*, noviſſime » *famis*. Quod vero ſit recepta a neotericis talis *cæli* declinatio probatur eo » maxime, quod numeratur a Grammaticis inter *ἑτερόκλιτα* in ſingulari neu- » tra, in plurali maſculina. » Quibus omnibus & illud animadvertis, ſi tamen fas eſt Leonem ex ungue dignoſcere, quam eſſet Auctor N. Latinæ linguæ peritus, ut qui alte adeo repetita oratione, minutiſſima quæque ad illam ſpectantia perſequeretur. Quod tamen haud plane demirer in Viro non indiculis, & polyantheis, ſed conſultis ipſis auctorum fontibus erudito. Rem non uno hujuſce noſtri commentarii loco adnotatam. Videſis notationes 511. 530., ac rurſus Mantuanum ipſum *Contra Calumniatores* pag. 66. *De loco Conceptionis Chriſti* pag. 207. *De patientia* lib. II. cap. XXVIII. Hinc & illa ejus adhuc junioris verba, *De vita beata* fol. 194. « Non habere Bibliothecas om- » nes poſſunt, fateor; ſed habentibus ſtudeant adhærere. »

(553) *Catalogo illuſtrium majoris Britanniæ Scriptorum* fol. 243. b. edit. Gippeſwic. M. D. XLVIII.

(554) *Bibl. Carm.* tom. I. col. 756. N. 74.

§. VI.

§. VI.

GEMINA, QUÆ SUPEREST, CONFLATA IN AUCTOREM CALUMNIA DISPELLITUR.

JOSEPH Origlia (555), ac D. de Clavigni de S. Honorine (556), Mantuanum cenſoria virgula notantes eum adverſus Romanam Curiam, Eccleſiamque oblocutum ſcriptitant: ſed enim legiſſe oportebat Auctorem, nec, judicio præpropero, quæ non ſatis perſpecta eſſent, definire, & definire quidem immerito, velut &, ſuis ad Baillet additamentis, obſervat Bernardus de la Monnoye (557), ipſique etiam Bayle, quoad aliqua ſaltem (558) eſt adnotatum. Re enim vera, erga Summos Eccleſiæ Pontifices obſequium eſſe, ac reverentiam impendendam, illorumque adoranda veſtigia, conceptis verbis, canebat *Dionyſii Areopag.* lib. I. (559), libro autem *Agelariorum* II. (560):

. . . . Publica Romæ
Quæritur utilitas, atque obſervantia legum
Maxima: Relligio, & Divum reverentia nuſquam
Major: in adverſis animus ſublimis, & audax,
Non præceps tamen, aut vano temerarius auſu.

De Bello Veneto (561):

. . . . . Reve-

(555) Suis ad Ladvocat adnotationibus. V. *Battiſta Spagnuolo*.

(556) *Du diſcernement, & de l'uſage, qu'on doit faire des livres ſuſpects.* Chap. III. pag. 30.

(557) » N'eſt pas contre les abus de l'Egliſe, que Mantuan a declamé: » c'eſt contre les abus des Eccleſiaſtiques » De la Monnoye ad Baillet *Jugemens des Sçavans* tom. IV. cit. olim N. 1247. pag. 327.

(558) *Dictionn. Hiſt. Crit.* art. Sixte IV.

(559) Tomo II. fol. 174., quo etiam Mantuani loco utitur ad Romani Pontificis adſtruendum primatum (*Theſauri Catholici* tom. I. lib. VII. art. VI.) Jodocus Coccius.

(560) Tomo I. fol. 304.

(561) Ibi fol. 270.

. . . . Reverenter habete
Templa, Sacerdotes, cenſus, Romanaque jura.

Quamvis nonnulla in ipſo reperias, quibus, aut depravatos aliquorum in Romana Curia mores (562), aut Romanam urbem (563), aut impios quoſdam, tantæque dignitatis immemores Pontifices (564) reprehendat. Id, quod non multum

---

(562) Ut *Ecloga* IX.
Eamdem Romanam Curiam offendant fortaſſis nonnulla, quæ habet Mantuanus ad Falconem, ut iſtud (tom. I. fol. 112.):

Obtinet expulſa probitate pecunia Romam,
Nec Deus in tota poſſidet urbe locum.

quæ etiam Mantuani verba uſurpat Joannes Rudolphus Kiesling (epiſtola Lipſiæ data XXIV. Aprilis M.DCC.XLVII. ad Eminentiſſimum Angelum Mariam Cardinalem Quirini, quæ eſt XLVI. inter Quirinianas Venetiis in folio editas M.DCC.LVI. §. VIII. pag. 332.) quibus tamen Vir ipſe & doctrina, & pietate ſpectatiſſimus Quirini, adjectis illi epiſtolæ animadverſionibus, hæc inter alia, Sadoleti verba ſubjungit: *Ego Sacerdotium non exigua ex parte his temporibus contaminatum eſſe fateor.* Appellat ſcilicet ad tempora Leonis X.

(563) *Sylvarum* lib. I. fol. 261.

(564) *Alphonſi* lib. IV., ubi tamen de quo loquatur, de Sixto ne, an de Paulo II., an de alio quopiam incertum eſt, ut Bayle quoque animadverſum (*Diction. Hiſt. Critiq.* art. *Sixte* IV. Rem B.), quo loci de eo Mantuani opere edisserens, eisi ob duplicem tantum, quæ loquens ibi inducitur, perſonam, aliquem nimirum, ſuppreſſo licet nomine, Pontificem, & Dæmonem, contendit de Pontifice aliquo ea eſſe accipienda, quæ, hoc loci, ſcribit Mantuanus; ſubdit tamen: « Il y a encore une choſe, qui peut prouver, que » Baptiſte Mantuan n'a point prétendu deſigner le Pape Sixte: c'eſt qu'il le » loue beaucoup dans le meme ouvrage, où il deplore la corruption de ſon » ſiecle. Il va juſqu'à dire, que ſi cette corruption n'eut été portée à un » tel exces, qu'elle ſurmontoit la force de tous remèdes, ce Pape eut pu la » guèrir:

» . . . . Poſtquam rerum te Roma potentem
» Fecit, & obſcuro jubar hoc reſplenduit orbi,
» Exanimis virtus, ſcelerum ſub mole ſepulta
» Reſpirare parum viſa eſt, & tollere frontem.
» Et niſi tot vitiis hæc ſecula noſtra fuiſſent
» Depravata, boni poterant Rectoris habenæ
» Errantes frænare rotas; ſed tantus equorum
» Impetus aurigam ſuperat, fruſtraque retractans
» Lora gubernator, ſine lege, per invia fertur.
» Propterea ſortem doleo, mitiſſime Patrum
» Sixte, tuam. Fueras annis melioribus aptus.
» Eſt tibi, quæ tanto ſatis eſt in Principe, virtus.

Hæc ex Mantuano *De calamitatibus ſuorum temporum* lib. III. Petrus Bayle (cit. loco), ac (*Biblioth. Carm.* tom. I. col. 225.) N. Villiers, a quo adeo

tum mirere in homine, qui ſub Alexandro VI. floruit, cujus etiam juſſu, etſi, quod diximus, Ferranticæ ſtirpis glorioſa facinora orditurus erat Poeta N., quibus interea, ceu præludium quoddam *Alphonſum* præmittebat: zelo tamen, quod in ipſo non laudare nequivit vel ipſe difficilis ingenii vir Hadrianus Baillet (565), temperare ſibi haud potuit, quominus Romanæ Curiæ mores, aliquotumque Pontificum minus honeſtam vivendi methodum vehementer deploraret, atque altiſſime deteſtaretur; quin & nonnulla reperias, quæ ad Alexandrum ipſum referri poſſe videantur. Quæ omnia demum ſi Panvinio (566) permitti potuerunt, ſi Muratori (567), ſi Fleuryanæ Hiſtoriæ Continuatori (568), ut mittam ipſum Fleury, ſi Dominico Bernini, ſi Burio, Zacharia, aliiſque innumeris (569), quidni licuerit ipſum hoc Viro Poetæ, eique potiſſimum, qui uſurpare illud, poſt Martialem (570), poſſit:

Hunc ſervare modum noſtri novere libelli
Parcere perſonis, dicere de vitiis?

Cæterum dignis laude Pontificibus Julio II., Leoni X., ipſi quinimo Innocentio VIII. nedum encomia præcinuit, verum &, munuſculi obſequentis loco, quædam ex ſcriptis ſuis

 humil-

nonniſi jure, ac merito corripitur Jurieu auſus *Alphonſi* libro illo in Summum hunc Eccleſiæ Hierarcham abuti; quamquam & dubia fama vixit Pontifex ille.

(565) Cit. olim tomo IV. N. 1247. pag 317., ubi hæc de Mantuano: « On » peut au moins eſtimer la piété, & le zele, qu'il a fait paroitre, dans quel» ques unes de ſes pieces, pour la diſcipline Eccleſiaſtique, le ſervice, & » la gloire de Dieu. » Tametſi hæc in Baillet dum lego, timeo (ingenue fatear), timeo Danaos & dona ferentes.

(566) In Alexandro VI.

(567) *Annali d' Italia* tom. IX. anno M.CCCC.XCII., tom. X. anno M. D.III. &c.

(568) *Hiſt. Eccl.* liv. CXVII. N. XXXI.

(569) Adjici his poſſet Mantuani præceptor Gregorius Tiphernas, qui ad Pium Pontificem e Galliis ſcribens hæc, inter alia, canebat:

Quid Romæ facerem, quum doctis nemo faveret,
Atque oculis nollem cernere multa meis?

(570) Lib. X. *Epigram.* XXXIII.

humillimus Poeta ſacravit (571), dignus a Leone X. habitus, qui Legati ſui munere, ut vidimus, fungeretur. Quod Eccleſiaſticos alios viros ſpectat, concedi fortaſſe potuit Mantuano, ut, ferventiori zelo, in minus compoſitos illorum mores ſtringeret calamum : ſcitum enim, qui eſſent, Alexandri VI., Pii III., Julii II., Leonis X. ætate, complurium non Laicorum modo, ſed & Eccleſiaſticorum mores ; ut adeo nec illud exinde ſequatur declamaſſe Mantuanum pravo quodam animi impetu exagitatum, quemadmodum, nullo adducto, rei quam autumant, argumento, definiunt ex tripode collectores *Nouveau Dictionnaire Hiſtorique* (572) ; in fœminas, inquiunt, atque devotos Deo viros, ſtilo, qui poſſit Aretino dignus cenſeri, inſurgit, ac debacchatur Mantuanus: in fœminas, quod iis placere haudquaquam potuerit : in Eccleſiaſticos nimia tranſverſum actus ambitione, ut quorum expetitas dignitates obtinere haud poterat, eos nec ipſos iis idoneos oſtenderet, ac veluti in illatæ ſibi injuriæ crimen vocaret. Ecquis, malum, ecquis non pedem hæc audiens ſupplodat ? Quis, medius fidius, procacibus adeo collectoribus non ſuccenſeat ? Aſt vero unum hoc illos petierim, aliqua, nimirum, proferant infandæ nimis, atræque calumniæ argumenta, rationes, conjecturas, quas ſi nullas adducere poſſunt ; illud igitur aliquando concedant, Scriptorem cl. non fœminas, ſed effœminatos increpaſſe, laudatum eam ob rem a Graveſon, ut vidimus (573), a Joanne de Torres, ab aliis ; fœminas autem morigeras, non uno operum ſuorum loco, modeſtiſſime veneratum. Appello moroſos criticos, ac tertios e cælo Catones ad unum illud carmen *De Cupidine marmoreo* Eliſabethæ Mantuæ Marchioniſſæ dicatum, quod hiſce abſolvit verbis:

Eſto

(571) Leoni X. *Faſtorum* libros nuncupavit, Julio II. *præcinium* tomo III. fol. 236. 239. Innocentio VIII., ut alia quædam in *Sylvarum* libris, ſic & Ludovicum Morbiolum, qua de re jam olim.

(572) Art. *Spagnoli* « Il s'emporte juſqu'à la fureur contre les femmes, & » contre les Eccleſiaſtiques: contre les femmes, parce qu'auparavant le ver» ſificateur Mantouan n'avoit pas pu leur plaire : & contre les Eccleſiaſti» ques, parceque les charges de ſon Ordre n'avoient pas pu ſatisfaire ſon » ambition. C'eſt ſurtout dans ſon Poëme *De la calamité des tems*, qu'il s'a» charne contre ſes derniers, avec un emportement digne de l'Aretin. »

(573) Cap. VI.

Eſto puer talis ſemper, teneatque ſepultum
Te ſopor æternus, maneaſque in marmore ſemper.

Vel ad aliud *De morte, ac dedicatione poematum Nicolai Corregii* (574), quo Polyhymniam hæc, inter alia, Eliſabellæ ſuadentem inducit:

Tu quoque Pierias vigilando enitere ad artes,
 Tota nec in levibus tempora perde jocis.
Ne cade ab inceptis. Summam virtutis ad arcem
 Te labor exiguus, te via parva feret.

Cæterum opinionem illam ſuam iis tantum Ariſtarchi hi noſtri probaverint, qui ignorent Mantuanum, & quum primum adoleſceret, fuiſſe profanis amoribus ſatis equidem alienum, iis quinimo infenſum, eos utcumque licuit inſectatum, ceu manifeſto videas, juvenilibus ejus carminibus ecloga II.-III.; quamvis tamen ingenuum, caſtumque amorem, ac felicem ipſius exitum, carmine etiam, identidem commendaret. Equidem exaggerata fatemur, quæ emphatice in mulieres ſcribit *Ecloga* IV., at enim teſtatur ipſe Auctor, ſe, eo loci, non ſuos, ſed Tiphernatis alterius ab Euripide miſogyni verſus prompſiſſe: carmina, inquit,

Carmina doctiloqui curſim recitavimus Umbri.

Alterum gratis perinde Auctori N. objectum, indignum & ipſum eſt, quod patienter cordatus homo refellat: cui enim non ſtomachum moveat, dignum Aretino loquendi, aut ſcribendi genus illud traduci, quod vel ſynchroni ipſi, iidemque piiſſimi Scriptores propriis ſuis inſerere operibus, ac typis iterum committere haud dubitarint? Teſtem hujuſce rei allegamus virum pietate, atque eruditione clariſſimum Abbatem Joannem Trithemium, qui libro *Penthico*

De

(574) Utrumque poema hoc appellavimus ſuperius cap. VI. cit.

De Ruina Ordinis (575), vehementiſſimis iſtis, ac plane emphaticis Poetæ N. verbis quoſdam exagitat ſanctiſſimi Ordinis ſui haud ſatis morigeros Monachos (576):

Neglecto Superum cultu, ſpretoque Tonantis
Imperio, Baccho indulgent, Venerique miniſtrant.
Sacra ferunt auro, nummis altaria condunt,
Auro vina libant, auro laquearia fulgent,
Scorta tegunt gemmis, canibus convivia ponunt . . . .
Exuviis inopum culti, diteſque rapinis,
Succeſſu elati Superos, Acherontaque rident.

Uno igitur ductus & Religionis zelo, & veritatis amore, hæc lamentabatur, flebatque querulus Poeta, non præpoſtero actus ambitionis ſtudio, quod quidem immerito nimis, injuriaque, in viro ſupponunt, quem ad ſupremum Ordinis regimen repugnantem fuiſſe evectum externi quoque Hiſtorici (577) tradunt. At nolumus diu cum iis conſerere manus, quos merito Hennius (578) traduxerit

Haud doctis dictis certantes, ſed maledictis.

Quamquam, ut graviter olim eſt a Cicerone pronuntiatum (579): « Qui admonent amice docendi ſunt, qui ini-
» mice inſectantur repellendi. »

Aliam

---

(575) Cap. VIII. appellat eoſdem hos Mantuani verſus, eoſque ex Trithemio recitat italice redditus Hieronymus a Coſta Protonotarius Apoſtolicus, *Dell' origine, e del progreſſo delle rendite Eccleſiaſtiche.* Parte II. pagg. CXXVIII. CXXIX. V. & Mafei *Ann. di Mant.* p. 849., & P. Maraviglia initio *Protei Ethicopolitici.*

(576) Habet hoſce verſus Auctor N. *De calamitatibus ſuorum temporum* lib. II. tomo opp. I. fol. 34. licet non ea ſpeciatim de ſacris Deo viris protulit, ut ejus iſte indicat verſus, qui a Trithemio allatos immediate præcedit.

Immemores tanti populus, patreſque laboris.

(laborem vocat Redemptionis œconomiam, de qua erat ante locutus, cujuſque graphicam, etſi brevem, deſcriptionem ſuperius attulimus.)

Neglecto Superum cultu . . . . . &c.

(577) Vide ſuperius cap. XIII.

(578) *Annal.* lib. VIII. in fragmentis ℣. 55. in *Corpore veterum Poetarum Latinorum* pag. m. 6.

(579) *De Natura Deorum* lib. I.

Aliam nunc Mantuano tentat impingere dicam vir cæteroquin eruditiſſimus Thomas Strozzi (580), a quo id Poetæ N. crimini vertitur, quod hæc de excitatis olim ſuper Immaculata Deiparæ Conceptione controverſiis cecinerit (581).

Vanus uterque labor, pietas temeraria, præceps
Relligio, levitas velata ſcientiæ amictu.
Nec natura poteſt illuc extendere viſum,
Nec Deus hoc docuit, nec re dependet ab iſta
Noſtra ſalus: quæ nos igitur dementia torquet,
Ut ſtudeamus in his conſumere litibus annos?

At forte arbitratus eſt Strozzi dicta hæc a Mantuano de laudabili prorſus controverſiæ eo genere, quod incolumi Fidelium charitate erudite utrinque, & acute poſſit diſputari: ſane Mantuani contextum haud videtur habuiſſe præ oculis, quum verba illa, quæ reperias *Faſtorum* libris, ea ipſe, ceu ex *Parthenices* lib. I. (582) adducat; utcumque fuerit,

(580) *Controverſia della Concezione della Beata Vergine Maria* in introd. cap. II. pag. m. 2., & 3., ubi, allatis Mantuani verbis: « Coſi, inquit, lo ſpinſe » a parlare l'eſtro iſpiratogli dalla ſua Muſa troppo amica dell' ozio di Par» naſſo, e perciò avverſa dagli ſtrepiti della ſcuola. » Quæ poſtrema verba non ii concoquant fortaſſis, qui ea animo reputent, quæ de ſcholaſticis Mantuani laboribus dicta, a nobis ſunt, cap. hujus vitæ VI., eaque ſimul attenderint, quæ ipſe reliquit MMSS. in iis enim & iſta:

Opus aureum in Thomiſtas MS. Bomb. in Bibliotheca Mediol-Ambroſiana, teſte Bernardo De Montfauçon *Bibliotheca Bibliothecarum Manuſcriptorum* tom. I. pag. 509.

Introductorium ſubtilis Scoti Ordinis Minorum lib. I. opus MS. a Villiers laudatum *Bibl. Carmel.* tom. I. col. 232.

Adde quæ ſcripſit Apologetica pro Ordine, pro ſe ipſo, pro Petro Nebulario, de loco Conceptionis Chriſti, aliaque his affinia, quibus certo illud conſtat, ſic eum Muſas coluiſſe, ut & ſcholaſticorum dumeta ingredi, ſubtilia cum iis diſputare, excitatas controverſias audire, inſtare, urgere, occurrere &c. non detrectarit. At juvat Poetam ipſum audire: Edidi, inquit (*Contra Calumniatores* pag. 80.): « Edidi & ego vivens opera mea, ut vitia audiam, » quæ annotantur, & quæ excuſari poſſunt excuſem vivens . . . . . . Feci » quoque hoc corſum, ut manum aliquando levarem de tabula, & ut his » curis abſolutus ad Theologiæ ſtudium, quo longe plus oblector, me con» ferrem. »

(581) *Faſtorum* lib. XII. fol. 375.

(582) Illud hic, arrepta occaſione, moneam, prodiiſſe olim *Marianam Parthenicen* in capita varia tributam: appellat enim hic Strozzi ad *Parthenices* I. caput VI. Pariter N. Joannes a S. Angelo ejuſce operis editionem in capita

Digitized by Google

fuerit, quum, poſt pauca (583), videatur Mantuani ſenſum adſecutus, non equidem intelligo eccur Vatem cl. eam unam ob cauſam, vehementius arguerit doctiſſimus Scriptor. Sed, ait ipſe, vix ullum eſt controverſiæ genus, quod non eadem hæc maneant incommoda; ergone actum erit, conclamatumque de controverſiarum genere univerſo? At, inquam ego, ejuſdem Poetæ N. verbis: ſi, ut illæ agitentur quæſtiones (584):

. . . . Ridiculis popularia corda
Obſcurare opus eſt gerris, & ſcindere pacem
Inter mortales, qua nil deſcendit ab aſtris
Utilius nobis . . . .

ah! faceſſat, rogo, genus controverſiarum quodcumque, nec ipſum hoc deſideranti Mantuano injuſtam, inertis, audacis, moroſi notam inuramus: præſertim, quum & ipſe, qui de vehementer nimium agitata quæſtione illa nil certo definiendum ſcribit (585); alibi tamen (586) noſtri etiam Ordinis Doctorum (587) veſtigia inſiſtens hæc ultro ſit modulatus: dignior eſt, illa Immaculatæ Conceptionis ſententia,

Dignior

divifam laudat *Diſſertatione apologetica de incognito per ſe cognito* adverſus Benedictini Ordinis Abbatem Michaelem Ximenez Barranconem. pag. 143. N. 358.

(583) Pag. 5.

(584) Eodem *Faſtorum* libro ſeq. fol. 376.

(585) Cit. XII. *Faſtorum* lib. fol. 376.

Ergo nec infectam dicas, nec labe carentem.
Obmuteſce. Deus ſciri hæc arcana negavit.

(586) *Parthenices Marianæ* lib. I. tom. II. fol. 5.

(587) » Aſſertio iſta a nobis Carmelitis toto corde eſt amplectenda, tam» quam Deiparæ, cujus ſpeciali titulo Fratres appellamur, & Unigeniti Filii » ipſius honori conſulens, ejuſdem Filii merita exaltans, & Eccleſiæ Catho» licæ ſenſum continens: merito proinde ſemper in Ordine N. fuit propu» gnata. » Inquit Henricus N. a S. Ignatio (*Ethica amoris* tom. I. lib. X. parte III. cap. VIII. §. 92.), cujuſce poſtremam hanc aſſertionem ad oculum oſtendit Carmelitarum Immaculatam Virginis Conceptionem propugnantium ſyllabus apud Matthiam a S. Joanne (*Hiſtoire panegyrique de l' Ordre de notre Dame du Mont-Carmel* tom. III. part. IV. pag. 613. ſeqq.) contextus. Id, quod & ea illuſtrant, quæ habet Lambertini (*Annotazioni ſopra le Feſte* parte II. NN. CXCIII. CCVI.

Digitized by Google

Dignior eſt, & grata magis Nato, atque Parenti . . . .
Quod ſi ſiderei tanto ſplendoris honore
Fulget, ut, æterno qui temperat ordine mundum
Geſtarit gremio, lactaverit ubere dulci,
Strinxerit amplexu, ſummoque vocarit Olympo:
Quare illam in noſtras opus eſt detrudere ſordes,
Et turpi infeſtare luto, mortalibus æquas
Cui Pater Æthereas mentes ſubjecit, & aſtra?

Atque hæc omnia demum litteris commendare inſtitueram, non quod in mala cauſa verſaretur inſigne illud Carmelitici N. Ordinis decus, Thelogiæ, Philoſophiæ, Poeſeos, Rhetorices, Hiſtoriæ eximius cultor, Vir toto, qua patet, orbe (588) celebris Mantuanus; ſed quia, ut recte olim eſt Ovidio animadverſum *Epiſt.* XIX.

Optima non ullo cauſa tuente perit.

---

(588) Infiniti eſſet operis Auctores alios innumeros, qui Mantuanum appellant, hic recenſere veluti ſunt Genebrardus, Alberti, Heliot, quique illius opera nunc Hiſpanice (V. Nicolaum Antonium *Biblioth. Hiſp.* tom. I. pag. 525., & ex Villiers alios), modo Gallice (V. P. Villiers *Bibl. Carm.* tom. I. coll. 220. 223.), vel etiam Italice (V. Franciſcum Xaverium Quadrio *Della Storia, e della Ragion d'ogni Poeſia* vol. VI. lib. I. diſt. III. cap. VII. partic. III. pag. m. 105.) converterunt, vel &, qua compoſita fuerant, lingua iterum, iterumque excuderunt, quos videſis apud Villiers, Orlandi, Niceron, Baſnage, Fabricium, Schelhornium, Engel, Freytag &c.

Digitized by Google

Digitized by Google

CRITICA
IN NUPERUM MANTUANI EDITOREM
ANIMADVERSIO.

ERAT Lucubratio hæc mea prælo matura, quum primum innotuit Viri cl. Franciſci Mariæ Soldini Carmelitæ Nudipedis liber inſcriptus: *Baptiſtæ Mantuani Ordinis Carmelitarum Poemata præſtantiora I. Bucolica . . . . II. Parthenice Mariana . . . . . e veterum editionum vitiis conversa. Hiſce præmittuntur contracta in Auctorem rerum geſtarum commentaria* Florentiæ M. DCC. LXXXIII. in 4.

Ut ergo nihil mihi antiquius, quam eos demereri, qui in Mantuani hinc præclare geſtis, hinc ſapienter, ac erudite ſcriptis illuſtrandis operam collocant, opportunam, quæ ſe mihi nunc offert, occaſionem aliqua ſeu ex ipſo adnotandi, ſeu in ipſum animadvertendi libens arripio, quum id mihi animo conſtitutum ſit Viro cl. debitam laboribus ejus, ac ejus doctrinæ laudem, hoc loci, teſtari, eique aliquod exhibere argumentum, quo ſuo hoc, eodemque elegantiſſimo in Mantuani vitam Commentario, rem nobis feciſſe gratiſſimam poſſit quoquomodo dignoſcere, ac illud etiam intueri, ſi quæ, noſtra hac Diſſertatione, ſcripta ſunt, quibuſcum hiſtorica ejus commendatio minus forte cohæreat, non ea a nobis inconſulto, aut uno exornandæ orationis ſtudio fuiſſe prolata.

Pag. I. pollicetur Auctor cl. ſe Mantuani res geſtas, ea ratione, perſecuturum, « ut ejus neque ſaltem extenuata, » neque minor inde futura ſit fama, quam hactenus tanti » Viri fuerit apud eruditiſſimos anticipata exiſtimatio. »

 Ediſſerit

Ediſſerit equidem multa præclare, hiſtorica ea commendatione, Soldini; at facile & ipſe noverit Vir præſtantiſſimus deſiderari adhuc multa, quibus mirum utique in modum in Poetæ N. laudes pervagari oratio, ac veluti dixerim exultare poſſet. Quanta enimvero non accedat cl. Auctori eximiæ, atque omnino ſingularis virtutis gloria, ubi id in lectoris mentem revocetur, fuiſſe illum non Latinarum modo, non modo Græcarum, ſed Hebraicarum etiam rerum peritiſſimum, fuiſſe inter Socios Theologici Bononienſis Collegii cooptatum, in Mantuanorum Principum Moderatorem adſcitum, in Bentivoli Conſiliarium, in Summi Pontificis Legatum, in Lateranenſis Concilii Theologum? At vero omnia hæc Soldini omiſſa, ni forte, quod primum attinet, obſcure id quidem, utcumque tamen indicatum velit pag. XVII. ultimis prope lineis, quibus dicitur Mantuanus: « Græcarum, aliarumque quamplurium littera» rum, quæ eruditiſſimorum hominum ſunt maxime pro» pria, cognitionem tantopere edoctus, ut neminem ſua » ætate ſibi coæquandum poſſet habere. » Agnoſcimus ergo cl. Editorem optimi & animi, & ingenii, & eloquii Virum; at punctum omne ſe, hoc loci, tuliſſe, quantum ſaltem Mantuani laudibus accurate complectendis opus erat, haud ſibi certe blandietur Vir doctus.

Pag. II. ſcribit Mantuanum « Nuperæ Carmelitarum Fra» trum corpore a toto ſegregatæ Familiæ » nomen dediſſe, cujuſce rei « ab eo geſtæ primordia innuiſſe ſatis præclare » videtur Ægloga I., ubi Alphus, & Galbula inter ſe pa» ſtorali more colloquentes eumdem, ſub Pollucis nomine, » mirabundi commemorant, hiſce carminibus: *Galbula quid » ſentis?* » Subdit ipſum multa prius hinc a ſevero genitore, hinc ab iniqua noverca perpeſſum, « quod ſuis in » puellam cæteroquin honeſtiſſimam amoribus dire adverſa» rentur. »

At I. verba illa: *toto a corpore ſegregatæ* velit certe Soldini commodo ſenſu exponantur: conſtat enim non ita ab Ordine reliquo ſeparatam fuiſſe Mantuæ Congregationem, ut nulla amplius in re utrique invicem Carmelitæ communicarent, veluti in Mantuano ipſo perſpicuum eſt exem-

plum,

plum, qui Bononiæ Lector creatus eſt, generalibus non Congregationis, ſed Ordinis comitiis (*Vitæ* N. capite V. Nota 113.), tum & ad ſupremam evectus univerſi Ordinis præfecturam. Sed &, qui, defuncto Mantuano, Generalis totius Ordinis Vicarius a Summo Pontifice Leone X. inſtitutus eſt, Joannes Baptiſta Secchia, fuit ipſe quoque ex Mantuana Congregatione aſſumptus. Adiſis Carolum Vaghi (*Commentariorum* lib. III. pag. 263.), & P. Ventimiglia (*Hiſt. chronol.* pag. 173., necnon ad annum M.CCCC. XLII), Villiers quoque (*Bibl. Carm.* tom. I. *art.* Joannes Baptiſta De Rubeis &c.)

II. Ecloga VII. aſcito Pollucis nomine, ſe ipſum, quæque ſibi domi eveniſſent deſcripſiſſe, id ſaltem non plane certum innuimus, capite II. Nota 29.

III. Mantuanum gravia multa a rigido parente perpeſſum, ob cognitos illius in puellam cæteroquin honeſtiſſimam amores, nullibi eruitur, quin aperta hæc, ex Fauſti protagoniſtæ perſona, eam in rem ſcribebat ecloga I. Auctor N.

Ut pater advertit, mitem ſe præbuit ultra
Conſuetum, quod & ipſe ſuos expertus amorum
Sciret onus, blandoque loquens humaniter ore:
Dic, inquit, dic Fauſte, quid hoc, quod pectore volvis?
Infelix puer, hæc facies teſtatur amorem!
Dic mihi, ne pudeat curas aperire parenti . . . . .
Ut facilem pater affectum præ ſe tulit, ultro
Rem confeſſus opem petii; promiſit, & ante
Quam brumale gelu borealibus arva pruinis
Spargeret, agnati unanimes cum patre puellam
Deſpondere mihi . . . . (*)

At uxorem ne ab eo ductam autumamus? Etſi id ultro eſſet concedendum, non certe, ea in re, quicquam foret abſurdi. Legatur Robertus Bellarminus *De Monachis* capp. XXXVII. XXXVIII. Verum improbabile eſt, de ſe loqui, eo

(*) Hiſce, ut id, pro re nata, moneam, ea iterum illuſtrantur, quæ diſputata a nobis ſunt. *Vitæ* N. cap. II. Nota 31.

Digitized by Google

eo loci, Auctorem: etenim conſtat ſcriptam ab ipſo eclogam illam I. ante annum ætatis ſuæ XVI., quum anno XVII. ſua jam vota nuncupaſſet (*Vita* N. cap. IV. Nota 101.); jamvero matrimonium illud, ut, quatuor ante annis, contractum, memorat, unde id conſequens foret ductam ab eo uxorem, quum vix XII. ætatis annum ſuperaſſet, ac etiamnum ad grammatica ſtudia, aut humaniores litteras appelleret animum, & adhuc ſub præceptorum diſciplina verſaretur, quæ ſane omnia haud facile credat æquus rerum æſtimator. En Fauſti verba, ecloga I.

Ecce dies genialis adeſt, mihi ducitur uxor . . . .
Adfuit Œnophilus, multoque ſolutus Jaccho
Tempeſtiva dedit toti ſpectacula vico . . . . . .
Et jam tres hyemes abiere, & proximat æſtas
Quarta: dies rapidis, ſi qua eſt bona, præterit horis:
Si qua placent, abeunt; inimica tenacius hærent.

Pag. IV. ait, mitiori apud nos inducta vivendi ratione, ſub Eugenio IV., imo collapſa fere monaſtica diſciplina, aliquot e NN. paucos eos quidem, cogitare cœpiſſe, anno M. CCCC. XLIII. de cultu monaſtico, *aut inſtaurando penitus*, *aut perficiendo*.

Verum levia quædam Mantuanæ Congregationis initia pridem ante Eugenium IV. poſita uſque ab anno M. CCCC. XIII. obſervavimus cap. IV., aut ſaltem repeti illa debent ab anno M. CCCC. XXV., uti ſcribit pag. 20. Joannes Maria Penſa (*), ni & longe ante utramque nuper adſignatam epocham, juxta ea, quæ ſciſcit pag. 91. Carolus Vaghi. Non ergo ex diſſidiis, ſub Eugenio IV., anno tantum M. CCCC. XXXI. electo, apud nos excitatis ſua agnoſcit exordia Mantuana Carmelitarum Congregatio.

Pag. XI. impenſas a Pico, & Trithemio Auctori N. laudes memoraturus ait Scriptores ſe allaturum « quorum, ut » omni exceptione major de virorum illuſtrium geſtis ha-
» betur

(*) Accinere illi videtur (*Bibl. Carm.* tom. II. lit. M. §. CXLIV. col. 448.) Coſmas Villiers, quin & id aperte adſtruit tom. I. lit. G. §. LXXIII. col. 561.

» betur fides, ita gravior cenſetur jure auctoritas, quod
» Baptiſtæ N. ſynchroni vixerint, neque ad ipſum cele-
» brandum privatis iis affectuum humanorum fuerint ſtimu-
» lis acti, qui honeſtos, ingenuoſque hiſtoriographos dede-
» cere feruntur. »

Vereor ipſe tamen ne Trithemius præclaris iis hiſtorici dotibus, quum ferret de Mantuano judicium, haud ſatis emicuerit (*a*), illudque tuto aſſererem inter melioris notæ Scriptores, quos penes cumulatiſſima eſt Poetæ N. laus, nec ullo, ut videtur, partium ſtudio exaggerata commendatio, citari aptius potuiſſe Beroaldum, Pontanum (*b*), Wimphelingium, Fernum, Capreolum, Bonifacium item, Fabricium &c. Addatur his, ſi lubet, epiſtola a Canonicis Regularibus S. Auguſtini ex Weſtphalia Bononiam ad Carmelitarum Priorem miſſa, quæ præfigitur operibus Mantuani Bononiæ in fol. M.D.II. editis, cujuſve exſcribo initium:

» Circumferuntur apud nos venalia opuſcula quædam, im-
» preſſoria arte in lucem producta, quæ tanta voluptate,
» tantaquè diligentia lectitantur ab his, qui bonarum artium
» ſtudio indulgent; ut nemo ferme mediocriter doctus re-
» periatur, qui non eorum incitamento ad morum caſtiga-
» tionem, virtutumque ampliorem profectum fuerit provo-
» catus, quique eorum ſe lectione crebro ſumma voluptate
» deneget affectum. Hæc, inquam, opuſcula ſunt a divini
» ingenii viro, ſacri Ordinis veſtri immortali lumine domi-
» no Baptiſta Mantuano edita, qui ſuo admirabili ſtudio,
» incomparabilique ſcriptorum elegantia, non modo ſe
» ipſum, ſed & totum Ordinem veſtrum univerſo mundo
» reddit amabilem. »

Pag.

(*a*) Conferantur, ſi vacat, quæ eam in rem attulimus, vitæ hujus noſtræ cap. XIV. §. I. Nota 352.

(*b*) Iis, quæ de Viro hoc cl. alibi jam a nobis dicta ſunt, adjici illud poteſt, quod & de Franciſco Pico eſt ante adnotatum, ſueviſſe, inquam, Mantuano uti operum correctore. En quæ ad illum ſcribebat, Neapoli Kal. Juniis M. CCCC. XCIX. « Eſt mihi in manibus *De Poeticis numeris*, deque *Hi-*
» *ſtoriæ lege* Dialogus, *De magnanimitate* liber, *De ſtellis* volumen abunde ma-
» gnum, item *De fortuna*, quibus abſolvendis, vel expurgandis potius do
» operam, quorum poſt judex ipſe futurus es » (V. Mant. opp. editionn. Bonon., Antuerp. &c.

Pag. XIII. de ſcripta a Mantuano Ordinis apologia ediſſerens: « Anceps, inquit, eſt nobis, ſeu decernere plane, » tutoque nequimus utrum Mantuanus a cæteris extra Con» gregationem Carmelitis, ſive ab aliis dire fuerit impetitus, » quibus nulla eſſet cum Inſtituto univerſo communio. »

At enim haud deerant, quibus ſuſpicionem hanc ſuam diſſiparet vir doctus. Qui Mantuanum, vel Ordinem potius, ea tempeſtate, vexabant, iis nimirum haud ullam intercesſiſſe cum Inſtituto univerſo communionem vel exinde conficere poterat, quod ſecus non Ordinem univerſum, cujus adverſarii ipſi membra eſſent, ſed unam tantum Mantuæ Congregationem exagitaſſent, neque idcirco pro univerſo generatim Ordine exornanda fuiſſet apologia, uti pro Ordine univerſo exornatam, ac editam conſtat I. ex ipſo ejuſdem apologiæ titulo: II. ex argumentis, quæ, toto eo opere, verſat Mantuanus; quippe eorum ne vel unum reperias, quo peculiarem Congregationis cauſam, non univerſalem Ordinis oret Vir ſummus; ut proinde mirari non ſubeat apologiam illam, uno fortaſſis Jovio excepto, ab omnibus, ceu pro univerſo, qua late patet, Ordine exaratam laudari. V. Wharton, Danielem a Virgin., Villiers &c.

Pag. XVII. laudato Mantuani opere *De patientia* monet eſſe in illo « Ordinate inter ſe nexa univerſa . . . quin » aliquid legenti ſe offerat, quod non cohærens ſit, aut » perperam a ſcopo diſtractum. » Id, quod lectori haud certe probaverit cl. Editor, ni ſaltem libro II. caput XVII. quod eſt *De Carmelitarum antiquiſſima origine* antea expunxerit. Quamquam levioris momenti id reputes, ubi cum univerſa operis ſerie conferatur.

Seq. pag. XVIII. narrat opus hoc idem a Mantuano perfectum pridem, ante annum M. CCCC. XCV., quam rem negent ei, abs dubio, quotquot ea ſemel percurrerint, quæ ſcripta a nobis ſunt, vitæ hujus N. Capite V. Nota 141., quo etiam loci, factam Brixiæ ejuſce operis editionem, anno M. CCCC. XCVII. appellavimus, quam ii omnes attendant velim, qui legunt apud Soldini eos *De patientia* libros,

Digitized by Google

libros, Venetiis anno M. CCCC. XCIX. *in vulgus denique* prodiiſſe.

Pag. XXIII. ſcribit integram Mantuani Bucolicam primo, *quantum noſſe licuit*, elatam Coloniæ, anno M. D. XXXV. cum Jodoci Badii commentariis.

Non igitur advertit eclogas X. editas cum aliis aliquot Auctoris N. poematis, Bononiæ in folio M. D. II. apud Benedictum Hectoris. Gemina quoque Argentinenſis earum editio alia anni M. D. III., alia M. D. XIII. a Freytag (589), aliiſque laudata non ei in mentem ſuccurrit, neque rurſum præ oculis habuit Badium ipſum X. eclogas illas commentariis illuſtratas Pariſiis edidiſſe, anno M. D. XIII. Quæ omnia, quum ægre mihi perſuadeam non fuiſſe cl. Editori animadverſa, præſertim, quod ſe editionem hanc ſuam ad veteres editiones exegiſſe, conceptis verbis, affirmet, facile hinc adducor, ut Typothetæ ablepſiam, eo Soldini loco, & ſuſpicer, & ignoſcam, uti & typographici ſphalmatis loco habeo IV. de Nicolao Tolentinate libros, quos Soldini cl. appellat pag. XXIV., quum nonniſi III. libris totum illud opus definiatur.

Pag. XXIX. poſtquam Mantuanum ſupremam Ordinis Præfecturam abdicaſſe tradidit, rei cauſam adſignaturus pergit: « Graviſſimis conjecturis cognitum eſt, nonniſi ab im» proborum technis profectum vere fuiſſe, cur ſatius Vir » præſtantiſſimus duxerit eorum perverſitati litare. „

Quid vero ſi Mantuanum ſupremam illam dignitatem abdicaſſe negemus? At negandum reipſa graves ſuadent conjecturæ, quas attulimus, vitæ N. cap. XIII. Verum abdicarit ſe ea dignitate Vir eximius; ergone nonniſi, ut improborum perverſitati litaret? Quibus graviſſimis conjecturis id cognitum? Ego in re magni equidem momenti rationes, & argumenta deſiderem, præſertim, quum nec deſint, qui abdicaſſe eum putantes cauſas ab ea, quam Soldini memorat, longe porro diverſas adſignent, veluti quod tempus quæreret, otiumque ſtudendi, quod ſuæ incolumitati conſuleret,

(589) *Apparatus Lit.* tom. II. §§. XXC. XXCI. pagg. 947. 951.

Digitized by Google

ſuleret, tunc enim illum adverſa uſum valetudine ex eo facile conjicimus, quod, ut ait cl. Ventimiglia: (*Hiſtor. chronol.* pag. 168.) " Si verum eſt Baptiſtam Generalatu „ ante mortem ſe abdicaſſe, dicendum ſane erit, paulo „ ante, quam fato cederet, renunciationem ſuam con„ tigiſſe. „

Habet forte quid hiſce reponat cl. Editor, hæc inquam monumenta ſtudioſius conquirere non ejus fuiſſe, qui hiſtoricam potius Mantuani commendationem, quam criticum in res ejus geſtas commentarium perſequeretur, idque facile & ipſe intelligo, ac ei ultro concedo; quin Virum cl. enixe rogo, ut, quæcumque ſchediaſmate hoc noſtro dicta ſunt, ea non pravo intemperantis critici animo; ſed, quod ſincere fateor, ingenuo amici adnotatoris ſtudio, in ipſum animadverſa libens excipiat: liceat imo, quæ olim ſuper colligendis Joannis Patrui operibus ad Franciſcum Picum Mantuanus ipſe ſcribebat (590), iiſdem nunc ſpectatiſſimum Editorem, quoad recudenda Mantuani opera compellare: » omnia ejus opuſcula, quæ abſolvit, quæ etiam imperfe» cta reliquit, ſunt, omni ſtudio, & diligentia, conqui» renda: nam, quum a tanta ingenii felicitate profluxerint, » non poſſunt non eſſe digniſſima, quæ ab omni poſterita» te legantur, amentur, & adorentur, ad quod officium » te provocarem, niſi te ſic perſuaſum, & animatum ſatis » crederem. »

Hoc tantum oratum velim, ut, ſi Mantuani opera typis iterum vulgare ei reipſa propoſitum eſt, Typographum adeat aut, præ illo, quo ante uſus eſt, diligentem magis, aut minus certe imperitum: nemo enim facile credat, quam frequentibus, quam etiam gravibus ſcatet erroribus primum hoc novæ editionis ſpecimen: at non urgeam hæc pluribus. Alterum modo eſt, quod non omnino ſiluerim. Pagg. 118. 119. hæc leguntur de S. Joachim (*Parthen.* I. lib. II.):

Com-

(590) Epiſt. ad eumdem, die XXVII. Novembris ann. M.CCCC.XCIV. inter ejuſdem Franciſci Pici opera *Epiſtolarum* lib. II. pag. 1296.

Complexus generum dextra, natamque ſiniſtra,
Multaque connubio ſuper, atque recentibus actis
Commemorans . . . .

Editiones aliæ ſic habent:

Complexus generum dextra, natamque ſiniſtra;
Ipſe etenim quamvis Mariæ ſit vitricus, Annæ
Vir; tamen ardenti referebat amore parentem
Illectus forma, ingenio, pietate, pudore,
Officio, & ſanctos venerans in Virgine mores:
Multaque . . . .

Porro quid cauſæ fuiſſe dixerimus, cur laudatus Mantuani locus omitteretur? Aliquane ſtili diſcrepantia cl. Editori ſuboluit? Verum brevior longe eſt periocha omiſſa, ut ex ea, de ipſius Auctoris ſtilo judicemus; quum præſertim Mantuani ſtilus non ſit ubique ſibi uniformis; ne & illud adjecerim fallere ſæpemodo hunc criticæ canonem, veluti quæ a NN. Thoma Cantoni (591), Honorato a S. Maria (592), aliiſque eruditis ſtudioſe conquiſita ſunt, ejuſce rei monumenta palam evincunt.

An faceſſivit cl. Editori negotium *Patris Mariæ* nomen, quo Sanctum Joachim Auctor N. appellat (*Parthen.* I. lib. II., ac *Faſtorum* lib. IX.)? Verum *Patris* nomen latiori quodam ſenſu hic accipiendum, vel ſcilicet, prout dignitatis nomen eſt, vel prout ejus, qui patris ſuſtinet (*) vices

 perſo-

(591) *In vita S. Angeli* dub. IV.
(592) *Reflexions ſur les regles* &c. tom. I. diſſ. III. art. VII.
(*) Sic D. Joſeph *Pater* a Mantuano ipſo dictus (lib. *Faſtorum* III.)

Sancte Pater veniens ab Hebræi ſanguine Regis.

Huc faciunt exempla alia ſacra penes Calmet (*Dict. Bibl.* tom. II. pag m. 166.) profana apud Samuelem Pitiſcum (*Lexico antiquitatum Romanarum* tom. III. pag. m. 43.), Gerardum Joannem Voſſium (*Etymologico linguæ Latinæ* V. *Pater* pag. 374.). Pædagogos, ut hoc ſaltem exemplum afferam, *Patris* nomine aliquando inſignitos obſervatum ex utraque & ſacra, & profana hiſtoria cl. Brunings (*Compendio antiq. Græcar.* cap. IV. §. III.

perſonam deſignat, id ex aliis Mantuani locis perquamnitide conſtat. De S. Anna: tres, inquit (lib. *Faſtorum* VII.)

. . . .

Tres habuiſſe viros, & tres genuiſſe puellas
Dicitur. In prima eſt magis admiranda, quod Author
Iſtius immenſæ molis, quam dicimus orbem
Ipſius eſt ſoboles . . . .

quominus autem id ex una tantum aliorum ſententia, a Mantuano dictum arbitremur, obſtat carmen, quod, lib. *Faſtorum* V. extat inſcriptum: *De duabus ſororibus Mariæ Virginis*: ut igitur nil adverſus expuncti loci γνησιότητα ex ejus ſtilo eruimus; ita & omnino nihil ex ejuſdem contextu.

At erat forte religio obſoletam jampridem, ſententiam veluti e cineribus excitare, ac typis rurſum contradere: verum, etſi notum illud eſt, Benedicto XIV. (593) Joachim Mariæ patrem dici: etſi item conſtat Baronio (594) Annam ex tum orientalium, tum occidentalium traditione *univiram* appellari, cui accedere videtur (595) Calmet, cujus imo ſententiam propugnant, ac tuentur (596) Bollandiani: tamen « cum Salmerone noſtro inquit (597) alter ex Bollandianis ſociis Gulielmus Cuperus, libenter fateor » ſententiam de triplici S. Annæ conjugio vulgarem fuiſſe, » & multorum Auctorum ſuffragiis confirmari poſſe. » Utcumque fuerit non erat cur quatuor verſus illos Soldini expungeret, quos habet ipſa anni M. D. II. Bononienſis editio, ut & quam Antuerpiæ adornavit N. Laurentius Cuper, qui non tantum ſibi in Mantuanum permiſit; tametſi videri poſſit nemini libentius omittenda fuiſſe ea Mantuani verba, quum idem Cuperus N. nedum contrariam inierit ſententiam;

(593) *Sopra le Feſte* parte II. §. CXLI. Quamvis nondum plane id conſtat, ut & fatetur (*Hiſt. Famil. Sacræ* cap. I. *De Maria V.*) Sandini.
(594) *Apparatus ad Annal.* §. XLI.
(595) *Diction. de la Bible* tom. I.
(596) Tom. VI. die XXVI. Julii, *Commentario de S. Anna* §§. III. IV.
(597) Cit. §. III. num. 22.

tiam; verum & illam Mantuani, Eckii, aliorumque (*a*) erudite impugnaverit (598), cujus inſignem, pro Annæ monogamia, locum appellat Cuperus alter Bollandianus ſocius (599). Quid? quod Joachim Mariæ patrem negavit inſignis Prædicatorii Ordinis Scriptor Peregrinus Nicolaus Celotti *Matthæi* locum cap. I. v. 16., ſic ex germana Hebraici textus lectione efferendum propugnans (*): « Jacob » autem genuit Joſephi conjugem Mariam, de qua natus » eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus. » At mitto nuperum, quamvis doctum Interpretem, ne eamdem, quam ille, ſubeam eruditorum (**) invidiam.

Interea ſatius fuiſſet, quæ recudi placuit Mantuani poemata, hæc ſubjectis ſcholiis illuſtrare, ut continuo quid probaret cl. Editor, quid corrigeret, quid & miraretur, quæ ſcholiorum laus eſt apud Senecam (epiſt. VI. *ad Lucilium*), legentibus innoteſceret. Ecquid enim referat illud præmonere (pag. XXIII.) in eruditorum gratiam dumtaxat, ac eorum, qui & Latinæ linguæ indolem, & poeticarum locutionum vim, apprime calleant, Mantuani opera in lucem emitti? Quam crebro viri occurrant tanta inſtructi eruditionis ſupellectile, ut, inoffenſo, quod ajunt, pede, Mantuanum decurrant, quoſve non remoretur frequens Geographiæ, Aſtronomiæ, Mythologiæ, hiſtoriarum denique om-

nium,

(*a*) Qui omnium fuſiſſime opinionem hanc exornaſſe olim videtur, eſt is N. Joannes de Vineta, Gallico de vita trium Mariarum poemate, quadraginta verſuum millibus deducto, ac circa annum M. CCC. LVII. ſcripro, quod Mantuani ætate, anno, inquam, M. D. V. Gallica oratione a Joanne Drouin converſum, ac inde Rhotomagi, anno M. D. XI. editum ſcribit (*Bibl. Carm.* tom. II. col. 133.) P. Villiers. De eo opere, ac ejus Auctore conferri etiam poteſt cl. De la Curne, diſſertatione, qua ſecundam continuationem chronici a Gulielmo Nangio inchoati (penes Lucam D'Achery, *Spicilegii* tom. III. initio, olim tom. XI.) non Monacho Benedictino, ut putatum Jacobo le Long, Caſimiro Oudino, Natali Alexandro, aliiſve, ſed N. Joanni De Vineta adſcribendam propugnat. (*Mémoires de littérature tirées des Régiſtres de l'Académie Royale des inſcriptions, & Belles-Lettres* tom. XIII. pag. 520. ſeqq.)

(598) *Genealogia, & Vita Beatæ Annæ* cap. XII.

(599) Cit. §. IV. num. 40.

(*) *Catena ſacra quaternæ ſcripturæ Sanctorum Evangeliſtarum* lib. I. cap. IV. Nota 16. Sed & alii ſunt, qui Joachimum Mariæ patrem inficiantur. Conferatur Berti (*De Theologicis diſciplinis* lib. XXVI. append. ad cap. III.).

(**) Peculiari adverſus Celottum diſſertatione, novam ejus doctrinam impugnat penes Calogerà (*Nuova raccolta* tom. X.) cl. Mingarelli.

nium, omnium, dicere auſim, diſciplinarum penes Auctorem N. uſus, & commendatio? Rurſus; ergone graviſſimi Auctoris lectione arceantur quotquot nondum ſatis, ut cum Perſio dixerim (*Prologo ad Satyras*), aut *fonte labra proluerunt caballino*, aut *in bicipiti ſomniarunt Parnaſo*? Aliud ſane fuit Jacobi Wimphelingii, Philippi Beroaldi, Joannis Murmellii (*a*), atque Angeli Carmelitæ judicium, quorum hic poſtremus ita ſcribit, epiſtola, quæ *Faſtorum* libris, Antuerpienſi editione (600), præfigitur:

» . . . . . Rectius proinde judicant, qui inter Poetas de-
» lectum habendum arbitrantur, eoſque, qui citra pericu-
» lum non leguntur, utpotequibus non modo vanis, ſed
» & obſcænis verſibus pagina turget, procul a Chriſtiano-
» rum finibus pellendos: eos vero, quorum ſcripta non
» ſolum nihil latentis veneni continent, verum etiam plu-
» rimum promovent Chriſtianam pietatem retinendos eſſe,
» & interdum juventuti prælegendos, inter quos non po-
» ſtremas partes obtinent Aur Prudentius, & hic Baptiſta
» Mantuanus. » Quæ omnia tamen, quo demum pacto accipias monuimus *Vitæ Notis* 353. 358. eas conſule, ſi vacat. Ipſe nunc plura forte, quam initio conſtitutum animo fuerat, complexus tandem,

. . . . quaſi, qui longa æquora, feſſa
Jam rate, ſulcavit, metam inveniſſe laborum
Lætor, & auſpiciis portum felicibus intro.

MANTUANUS lib. *Agelariorum* VI. ỷỷ. ult.

(*a*) » Joannes Murmellius in *Artis componendorum verſuum rudimentis*, aliiſ-
» que *Epiſtolis* aliquot, quoties Mantuanum N. diſcipulis imitandum propo-
» nit? » Cuperus *Dedicatoria* tomi I. De Beroaldo, ac Wimphelingio jam olim nos plura.

(600) Tomo II. fol. 235. Videſis & P. Villiers. *Biblioth. Carmel.* tom. II. V. Henricus Angelus col. 619.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX

EORUM, QUÆ NOTATU DIGNIORA SUNT.

A

PAGINA.

ÆQuicola (Marius) Mantuani apologiam meditatur 4
Agelarium (Conſalvum) carmine celebrat Mantuanus 75
Alberti (S) Carmelitæ hymnus Mantuano vindicatus 91. 92
Alexander VII. 74
Alphonſus Mantuani poema 74. 187
Animæ immortalitatem an inficiatus Mantuanus 110
Anna unius ne, an plurium virorum uxor 203. 204. 205
Anni priſcorum in orbe hominum an menſes 151
Apollinis nomina plura 177
Aſcenſius (Jodocus Badius) eruditus Mantuani interpres . 23. 45. 74

B

Baconis (Joannis) Carm. editio 83
Baglione (Joannes Paulus) Peruſio ejicitur . . . , . . . 80
Baillet (Adriani) cenſura elevatur 107. 110. 111
Baptiſtæ Mantuani ortus 15. Pater 3. 4. Mater 3. 4. 11. 12. 13. Fratres Ægidius 8. Alexander 7. Fridericus 8. Ptolemæus 5. Præceptores 21. 22. Carmelitarum Ordinem ingreditur 25. Lector deſignatur 28. Ejus aliquot Auditores 29. 30. Sacræ Facultatis Bononienſis Doctor 28. 29. Mantuanæ Congregationis ſexies Generalis Vicarius 63. 69. 77. 78. 81. 84. Dignitates aliæ 43. 56. Bentivolo a conſiliis, & confeſſionibus 80. Totius Ordinis Moderator 84. Leonis X. ad Galliæ Regem Franciſcum I. Legatus 93. Lateranenſis V. Concilii Theologus 93. De Latina lingua optime meritus 168. 169. 184. Græce doctus 170. 171. 174. 181. 182. Hebraice ſciens 171. 173. 174. Grammaticis rebus attritiſſimus 181. ſeqq. Poeta inſignis 102. ſeqq. Graviſſimus Theologus 133. ſeqq. Orator eximius 26. 35. Philoſophus eclecticus 160. Hiſtoricus 148. ſeqq. Antiquarius 163. 166 Ejus Bibliotheca 171. 175. 176. 179. Ingenuitas 158. Effuſa in proximos charitas 37. Præclaræ aliæ animi dotes 22. 24. 28. 35. 40. 77. Infirmitates 36. 71. Obitus 96. Statua 99. 102. Epitaphia 97. 101. 170. Sanctitatis fama 101. 102
Barbaro (Hermolao) carmen a Mantuano inſcriptum 165
Baſignana (Stephanus Gorgonius de) Carm. laudatur . . . 19
Baſſo (Hieronymi) Cardinalis in Mantuanum, ac ejus Sodales munificentia 67. 68
Bayle (Petrus) Mantuani locum expendit 186
Bembus (Bernardus) in Mantuani intimis 35
Bentivoglio (Joannes) Bononia expulſus 80
Beroaldus (Philippus) Auctori N. amiciſſimus 50. 104
Berti (Joannes Laurentius) commendatus 16. 133. 135
Blaſii (S) vita carmine ab Auctore ſcripta 90

Bouherii (Petri) de reſtaurata Latina lingua carmen . . 163
Bruckerus (Jacobus) Mantuanum Philoſophiæ inſtauratoribus accenſet 164
Bullarium Carm. an a Mantuano omnium primo veluti præformatum 179

C

De Calamitatibus temporum Auctoris opus 56
Caleſtanus mons ubi 77
Cameracenſe in Venetos fœdus 81. 82
Canticum *Magnificat* carmine expreſſum 61. *Nunc dimittis* . ibidem
Capreolus (Elias) commendatus 38. 105
Carmelus Bononienſis 40. 42. Florentinus 89. Mantuanus 25. 77. 89. 179. Mediolanenſis 86. Piſtorienſis ibidem. Silvarum . . . 24. 25
Caraffa (Oliverius) Cardinalis 55. 56. 64
Cataneis (Baptiſta de) Carm. laudatus 88
Catharina (S) an nil de ea Euſebius Cæſarienſis 33
Celotti (Peregrinus Nicolaus) a Ferdinando Mingarelli correptus . 205
Chizzola (Joannes Stephanus) Generalis Carmelitarum Prior commendatus 26
Chryſogoni (S) cœnobium Romæ Carmelitis conceſſum . 67. 68
Cibo (Joannes B.) Cardinalis 64. 65
Claudiani, quæ Romæ eſt, Græca epigraphe an apocrypha . 182. 183
Cognominum uſus, quo potiſſimum tempore invaluerit . . 18
Congregatio Carm. Albienſis 87. Mantuana 24. 196. 198
Creſtonus (Joannes) Carm. Græcarum litterarum in Italia inſtaurator 76

D

Demoſthenis tumulus 158. 159
Deſcriptiones Adæ lapſus 142. Ærumnoſa vitæ periodus 176. Bibliotheca Refrigerii 160. 161. Iter Mariæ ad Eliſabeth 113. 114. Iter Mariæ, & Joſeph in Bethlehem 120. 121. Lauretanæ ædis tranſvectio 71. 72. Mors 119. Natalis Chriſti dies 120. 121. ſeqq. Paſſio Domini 35. 36. Peſtis 57. 58. Res, quæ, impudica Venere dimiſſa, honeſto carmine dici & poſſent, & deberent 48. Roſa 112. Ruris otium 116. 117. Triumphus ex parta victoria 115. 116. Vates ſubito mœrore correptus 114. Venatio 117. 118. Vir gravis . 177. 178
Dionyſius Areopagita idem, juxta aliquos, ac Pariſienſis . . 91
Du-Pin (Ludovicus Elias) emendatus 61. 95

E

Eclogæ X. a Mantuano editæ 22. 23. 24. 49. 64
Epigramma vetus in puerum gelido ſtagno præfocatum . . . 180
Epigrammata Auctoris in Baptiſtam Fiera 163. in Herculem Stroza 175. ad Pomponium Lætum 166. in puerum hinc raptante lupo, hinc retrahente patre diſcerptum 180. 181
Epitaphiorum ponendorum ratio 106
Eraſmi (Deſiderii) epiſtola, ac ejus de Mantuano judicium . . 105
Eruditi aliquot ſeculi XV. 164. 165. 168. 169
Eva an pomi, an frugis alterius eſu peccarit . . . 142

F

Fabricii (Joannis Alberti) locus 127. 128
Falconi (Sinibaldo) epigrammata plura inſcribit Auctor . . 26. 27

Digitized by Google

Fanti (Bartholomæus) Ven. Carm. Mantuani Myſtagogus . . 25
Fantucci (Carolus Ant.) In ejus gratiam tres *De patientia* libros Mantuanus componit 37
Faſtorum libri Leoni X. ab Auctore dicati 92
Ferni (Michaelis) inſigne de reſtituto Latinæ linguæ nitore teſtimonium 168. 169
Ferrarinus (Michael) Carm. rei lapidariæ ſtudioſiſſimus . 163
Fiera (Baptiſta) Mantuanus Auctoris N. loco haud ſemel habitus 163. 165
Fontenelle (Bernardus) redarguitur 107. 109
De Fortuna Gonzagæ Mantuani carmen 44
Fuſcarius (Ludovicus) Mantuano amiciſſimus 41

G

Galli ad Tarrum an victores 45. 46
Gallis non injurius Mantuanus: ſcriptum ab eo ejuſce gentis elogium 46. 47
Georgii (S) vita a Mantuano verſibus commendata . . . 91
Georgius Novarienſis vivicomburio multatus . . . 34
Gonzagarum Mantuæ Principum in Mantuanum, & Carmelitas reliquos propenſio 44. 52. 88
Gonzagæ Principes Franciſcus, Sigiſmundus, & Iſabella Mantuano juniores concrediti 43. 44
Gonzaga (Sigiſmundus) Cardinalis perpetuus Auctoris N. Mecœnas 83. 84. 87
Goujet (Claudii Petri) de reparata Latina lingua locus . . 168
Græco-latinum Creſtoni lexicon Mantuano perperam adjudicatum . 76
Gregorius Tiphernas Umber Mantuano ſæpe laudatus . . . 21. 22

H

Hieronymum (S) laudat Mantuanus 161
Hiſpaniola gens unde 3. 6
Hiſtoriæ laus 1. 2. 148
Homerus 18. 182
Horatius 18. 38. 106. 107. 109. 111. 126. 129. 130. 161. 183
Hydrus e Turcarum manibus in libertatem aſſerta . . . 59. 60

I

Jafredus (Carolus) vir cl. commendatus 78. 90
Invidia criticorum judicia corrumpit, ac fœdat 126
Innocentius VIII. 35. 62. 65. 67. 69
Joannæ Papiſſæ commentum 155
Jovius (Paulus) exagitatur . . . . 10. 11. &c. 75. 94. 96. 102
Julius II. 78. 80
Italia bellis devaſtata 46. 47. 60. 61. 62. 77. 78. 82

K

Kieslingii (Joannis Rudolphi) epiſtola ad Angelum M. Cardinalem Quirini 186
Konig aſſumit Eraſmi de Mantuano judicium 105

L

Labbe (Philippus) Trithemium emendat 103
Lapicidarum oſcitantia notatur 184

Digitized by Google

Laſcaris (Joannes Andreas) Mantuani familiaris 171
Latinorum aliquot Auctorum brevis notio 161
Laureti Ædes Carmelitis traditur cuſtodienda 69. 70. 73
Lex, quid 140
Literæ in Italiam velut poſtliminio revocatæ . . . . 164. ſeqq.
Longinus an, juxta Mantuanum, captus oculis Salvatoris latus transfoderit 153

M

Magi, qui infantem Chriſtum adoraverunt, an juxta Mantuanum omnino non dicendi Reges 134
Maja Brixiæ familia nobilis 7
Mamachius (Thomas M.) Mantuanum laudat 154
Maria (SS) ſine labe concepta 192. 193
Martialis 7. 126. 150. 182
Merlinius. De eo quæſtiones variæ 156. 157
Merula (Georgius) Auctoris N. primum condiſcipulus, tum inde præceptor 22
Miracula Chriſti an illum Meſſiam probent . . . . . 135. ſeqq.
Miſſale Ordinis an, Mantuani juſſu, editum 88
Morbioli (Ludovici) ſanctitas a Mantuano celebrata . . . 65. 66
Monnoye (Bernardi de la) refutatus 11. 12. 13. 14
Murrho (Sebaſtianus) ſarcophagum Auctori N. præſcribit . . 170. 171
Mythologiæ uſus quis apud Chriſtianos Poetas 108

N

Nangianæ ſecundæ continuationis auctor quiſnam 205
Nebularius (Petrus) Carm. 28. 30. 38. 39. 79
Niceron (Joan. Petrus) refellitur 11. 13. 14. 84. 99
Nicolai (S) Tolentinatis res geſtas carmine perſequitur Mantuanus 90

O

Ordinis Carm. apologia Mantuano adornata 94
Ovidius 10. 109. 119. 126. 151. 167. 183

P

Pacis encomia 46
Pagnini (Joſeph M.) Carm. laudatur 23. 111. 131
Palinodiæ laus 159
Panætii (Baptiſtæ) Carm. opus Mantuano dicatum 81
Parthenices plures a Mantuano exaratæ 32. 33. 52
De Patientia libri perperam Nebulario a quibuſdam adſcripti . . 39
Paulini (S) ſtudioſiſſimus Auctor N. 31
Petri (S) Apoſt. Romam adventus a Mantuano memoratus . . . 154
Petrus Lucenſis 95
Philologica quædam: *Ægloga* an dicatur, & unde 23. *Ante diem* an latine dictum 183. *Calos* an recte 184. *Divi* epithetum quibus conceſſum 9. *Fames* varie olim declinatum 184. *Helvetii*. Hujus vocis quantitas 125. *Patris* voci multiplex ſubdita notio 203. *Paſcha* vox unde petita 152. *Polenta* an neutro dicatur genere 183. *Rhamnuſia* an fortunæ epithetum ibidem. *Silva* poetica quid 51. *Virgilius* an rectius *Vergilius* 181. 182

Digitized by Google

Philoſophiæ eclecticæ laus 162
Philoſophiæ Græcæ ſectæ aliquot . . . . . ibid.
Phraſeologia Taurinenſis laudata 126
Pici (Joannis) Mirand cum Auctore N. neceſſitudo . . . 103. 104
Pici (Franciſci Mirand in Mantuanum obſequium . . . ibid.
Poeſis an viros Deo ſacros dedeceat 132
Politiani (Angeli) ad Auctorem epiſtola 40
Pontani (Joviani) erga Mantuanum, ac hujus invicem in illum obſervantia . . . 75. 104. 199
Ptolemæus Auctoris frater pro eo apologiam exornat . . . 4
Pucci (Laurentis) Cardinalis 90
Pythagoras Italicæ Philoſophorum ſectæ Auctor 162

Q

Quadrio (Franciſci Xaverii) præproperum judicium . 49. 107. 109
Quirini (Angelus Maria) Cardinalis 38. 186

R

Racine Claudianum reprehendit 146
Romanam Eccleſiam non infectatus Mantuanus . . . 185. 186
Refrigerii (Joannis B.) in Mantuanum comitas . . . 30. 41. 43
Ricolvi (Joannes Paulus) laudatus 9. 126. 180
Ruele (P. Marianus) Carm. Menkenli errorem prodit . . . 163

S

Sabellici (Marci Ant.) de Mantuano teſtimonium 169
Sannazarius (Actius Sincerus) an Mantuani exſcriptor . . . 113
Sanſeverinas (Robertus) Summi Pontificis vexillifer . . . 62
Scaligeri (Julii Cæſ.) intemperantia 107. 111
Scholiorum uſus an vacuus 205
In Scripturam Sacram adnotata quædam . . . . 170. ſeqq.
Serry (Jacobi Hyacinthi) ſupinus error 152. 153
Simonis Magi volatus an commentitius 148
Sixti IV. opus *De potentia Dei* 80
Societati naſcimur 37. 131
Soldini (Franciſcus M.) Auctoris N. laudes integrat 195. Caſtigatur 196. ſeqq.
Soreth (Joannis) Ven. Generalis Carmelitarum Prioris epicedium ab Auctore ſcriptum 114
Sybillæ 122
Sylvarum libri a Mantuano congeſti 50. 51

T

Taberius (Joannes) *Rovatenſis* dictus 38. Ejus in laudem Mantuani carmen 39
Thalete inſtituta Jonica Philoſophorum ſecta 162
Theocriti locus 131
Theologica quædam effata: De Deo 139. 140. Ejus cultu 143. Trinitate 141. Providentia 146. 147. De Incarnatione 142. Euchariſtia 143. Martyrum fortitudine 143. 144. Juſtorum præmiis 144. Sanctorum Invocatione 145. Mortuorum ſuffragiis ibid. De prædeſtinatione 141. De viſione beatifica 144. Adverſus Hæreticos 147

Digitized by Google

Tiraboſchi (Hieronymus) vir cl. corrigitur . . . 76. 99. 174
Trithemius (Joannes) in Mantuani laudes fortaſſe nimius . . 103
Trophæum Gonzagæ Mantuani carmen 45. 158

V

Valenti ſtirps Mantuæ nobilis 5
Ventimiglia (Marianus) Generalis Carmelitarum Prior Mantuanum generalatu ſe abdicaſſe negat 98. 99
Veſtium color non promiſcue olim mutatus 64
Virgilius 6. 38. 42. 129. 151. 161
Virtutis, & honoris templum 2
De Vita beata Mantuani liber 21
Ungheria Mantuani Carmeli prædium 89
Urbis rudera aliquot, ac vetuſta quædam monumenta . . 165. 166
Urbini Dux Guido-Baldus 15

Z

Zeno (Apoſtolus) 76. 81

W

Weſtphaliæ Canonici Regulares Mantuanum celebrant 99
Warthoni (Henrici) locus a Graveſon exſcriptus 149
Wimphelingii (Jacobi) de Mantuano judicium 10
Wolphii (Thomæ) de Mantuani ſtatura, ac forma teſtimonium . 19

Menda, quæ irrepſere, irrepſere autem aliquot, ea Lectoris donec humanitas, veluti:

		Errata	*Corrige*
Pag.	6.	æqua	æque
	7.	Perlepide	perlepide
	13.	unum illud	illum
	17.	Petri	Patri
	18.	ΟΜΕΡΟΣ	ΟΜΗΡΟΣ
	47.	infida	infima
	80.	Romanoram	Romanorum
	92.	Honoratii	Honorati
	112.	Petavius, Corneille, Zanchius	Petavius, Zanchius
	127.	*ad Nicobulum*	*in ſe ipſum*
	181.	ἐν	ἦν
	182.	καταλείπεται	καταλείπεται
		&c.	*&c.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google